IHS

Diebus [illegible]

Ne quid nimis fiat [illegible] sapientis [illegible]

ORATIONVM ECCLESIASTICARVM Dominicalium

TOMI PRIMI

Pars Prima.

Authore R. P. STANISLAO ZAKRZEWSKI, Canon. Reg. Monas. Czeruen. B.V.M. Professo. Sacræ Theolo. Lectore Ordinario Prædicatore, ad ædes S. Georg. Warsauiæ.



CALISSII.

In Officina Alberti Gedelii Illust. Archiepiscopi Typographi. Anno Dni. 1620.

Cum licentia Superiorum.

APPROBATIO SUPERIORUM.

LAURENTIUS GEMBICKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS, LEGATUS NAtus, Regni Poloniæ Primas, & primus Princeps.

Dilecto Nobis in Christo, Alberto Gedelio Typographo nostro Calissien. Salutem in Dnō. Pro parte Venerabilis ac Religiosi Stanislai Zakrzewski, Ordinis S. Augustini, Canonici Regularis S. T. L. exhibitæ sunt Nobis certæ Orationes Ecclesiæ Dominicales. Quas de nostro mandato Theologi nostri legerunt, & accuratè examinarunt, nihilq; in ipsis S. fidei Catholicæ contrarium reperiri Nobis retulerunt. Tibi itaq;, cuius fidem & diligentiam in similibus experti sumus; authoritate nostra ordinaria Orationes prædictas inprimendas permittimus, & facultatem damus, per Nostras præsentes literas. Quas Sigillo Nostro communiri mandauimus. Datum Louicii, die decima octaua Mensis Ianuarii. Anno Dni. Millesimo Sexcentesimo Vigesimo.

Ioannes Lugowski suæ Illmæ. & Rmæ. Cel. Act. Not. PM.

GEORGIUS ZAMOYSKI

A ZAMOSCIE, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS CHELMENSIS ABBATIÆ Ceruenen. Administrator perpetuus.

Venerabili in Christo Patri Stanislao Zakrzewski, Canonico Regulari Ordinis S. Augustini, Monasterii nostri Ceruenen. Professo, Nobis in Christo dilecto, Salutem in Dnō. Orationes tuas Ecclesiasticas Dominicales, quas ad Nos in Russiam transmitti curasti, & ipsi legimus, & Reuerendo Dnō. Nicolao Kislissio Decano Zamoscen. Vicario in Spiritualibus & Officiali Nostro Generali legendas & examinandas mandauimus: in quibus quoniam nihil inesse contra fidem Catholicam, & probos mores intelleximus, illas prælo mandandi facultatem & licentiam authoritate Nostra Ordinaria tibi impartimur. In quorum fidem præsentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Nostro muniri mandauimus. Skierbieszouiæ. Die Vigesima Mensis Nouembris. Anno Dni. Millesimo Sexcentesimo Decimo nono.

Georgius Zamoyski Episcop. Chelmensis.

Serenissimo Regi
SIGISMVNDO III.
DEI GRATIA REGI
POLONIÆ SVVECIÆ &c. Magno Duci Lithuaniæ, Prussiæ, Mazouiæ. &c.

Regis Regum gratiam.

Author humiliter in Dnõ. precatur.

ORationes Ecclesiasticas Warsauiæ, in Ecclesia S. Georgii Canonicorum Regularium, toto triẽnio ad populum habitas, & cum licentia Illmi. Dni Archiepiscopi Gnesnensis, typis excussas. Serenissimæ Maiestati V. Regiæ, humilis in Christo seruus, & subditus, Dnõ meo Regi offero. Eo enim zelo S. M. V. in Ecclesia Dei, eaq; pietate & obseruantia, cæteris præeminet, quam in augendis eius bonis, in desendendis li-

bertatibus, & immunitatibus, in dilatandis, longè lateq; propagandis eius finibus S. R. M. manifestat, vt omnes qui aliquo modo ad Ecclesiam Dei pertinemus, tantam pietatis magnitudinem, laudum encomiis extollere, gratiarumque submissa actione, & omni gratitudinis genere, persoluere teneamur. Ex quorum numero cum me esse vnum etsi inter reliquos minimum agnoscam, ne tamen officio vinci animaduertar, opus hoc Ecclesiasticũ, acerrimo Ecclesiæ Dei propugnatori, diuiniq; honoris Promotori, Serenissimæ inquam M. V. consecro, obnixe precibus obsecrans Serenissimam M. V. vt gratum recipientis experiatur animum. Viuat Serenissima Maiestas V. in multos annos, fœlix beata, salua, & incolumis, vna cum Serenissima Consorte Matre Christianissima. Quã beatitudinis sortem Serenissimo Wladislao Principi nostro S. M. V. Filio, ceterisq; bonæ indolis, & magnæ expectationis Filiis. Dominis meis & Principibus ex animo precor. Datum in Conuentu nostro Wars. ad S. Geor. 20 Feb. Anno Dni. 1620.

ILLV-

Illustrißimo & Reuermo Domino,

D. LAVRENTIO GEMBICKI ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

*LEGATO NATO, PRIMATI. PRIMO*QVE PRINCIPI, REGNI POLONIÆ. Domino ſuo clementiſſimo.

Author vtramq; fœlicitatem. Longitudinem dierum & ſalutare Dei precatur.

IN principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyßi: certè digna omni admiratione narratio Illuſtrißime Domine. Si enim Deus creauit cœlum & terram, cur inanis & vacua, tenebriſque inuoluta? Nonne Dei perfecta ſunt opera? Imo perfectißima, omnibuſque numeris abſoluta, quare ergo terra inanis? quia nondum creati luminis ſplendore illuſtrata fuerat, ſed cum fecißet Deus duo Luminaria magna, luminare maius & luminare minus, vidit quod omnia eßent bona, luminis quippe ſplendor, tenebrarum caligine dißoluta, terram ferti-

litate producendi flores odoriferos, variiq; generis plantas adiuuit. Non aberro cum Deum rerum omnium Opificem sequor Illustrissime Domine, diuina enim actio nostra est instructio. Composui diuina gratia ad id mihi opitulante opus hoc nouum Orationum Ecclesiasticarum multorum virorum iudicio comprobatum. Quod ne vacuum sine fructu & domesticis tenebris inuolutum remaneret, illud præsentandum oculis omnium placuit, vtque gratiam in conspectu omnium inueniat, tituloque bonitatis potiatur, duo luminaria magna. Luminare maius, Serenissimum Regem nostrum de Ecclesia supra quam cuiquam credibile est optimè meritum; & luminare minus Te Illustrissime Domine, qui Serenissimo Regi nostro in dignitate Regni nostri secundus felicibus auspiciis haberis, in fronte huius operis exhibui, vt tantæ lucis splendore aquilarum subtilium oculi facile ad opus hoc meum hilari fronte & recto aspectu legendũ alliciantur. Lumen etenim splendidissimum es Illustrissime Domine, quippe in Ecclesia Dei summa pietate, morum grauitate, vitæ sanctitate, in Senatu eximia eruditione & doctrinarum omnium facultate, & in negotiis arduis ingenii dexteritate, in subditos humanitate Ill^m C^m V^m. adeo fortiter lucentem oculis nostris spectamus,

mus, vt omnes I. C. V. dicta & facta omnibus negotiis lucem addere fateamur. Omnium vox auditur. I. D. L. G. A. G. esse lumen Regni fulgentissimum. Ecclesiæ columnam fortissimam, Patrem pauperum. Decus & ornamentum Senatus. Cuius splendore opus meum magnam vbique locorum authoritatis praerogatiuam habiturum confido. Fœlix viuat in annos Nestoreos. I. C. V.

AD LECTOREM.

OPus nouum Orationum Ecclesiasticarum benigno vultu & hilari fronte sumito Lector candide, & si quod alimentum animo tuo, gratum sapore & iucundum dulcedine inuenire poteris, eo feliciter vtere. Deoque Omnipotenti qui etiam linguas infantum facit esse disertas gratias age; memor autoré amphoræ esse similem, quæ si vinum in eam infusum fuerit, vinum reddit, si aqua repletum fuerit, eandem bibentibus exhibet: non dissimili ratione authoris cor illud eructat verbum, quod descendit desursum à patre luminum. Quod si aliquid tuo clarissimo animo displicuerit, boni & æqui consule, voluisse me doctis conceptu, minus peritis facilitate styli placere. Si verò gratum & acceptum intellexero, manum reliquo operi in lucem edendo, haud impigrè admouebo. Vnicum à te postulo Lector candide, vt cum opus legeris, & probaueris, Deo gratiarum actione reddita, pro authore pauperculo, vt non deficiat, vnum Aue Maria, B. V. M. consecra: Si reprehenderis, me bonum omnibus voluisse contentus esto. Vale & fælix labore isto vtere.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica I. Aduentus.

AD iudicia in terris ab hominibus ordine debito celebranda, quinq; requiri quotidiano vsu, & consuetudine edocemur, nempe citationem rei, Accusationem Instigatoris, Iudicis Personam, sententiæ definitiuæ notitiam, eiusque executionem. Simili ratione hæc omnia in extremo Iudicio seruanda fore ostenditur. *Summa Concionis.*

Et tunc videbunt filium hominis, venientem in nube cum potestatē magna & maiestate. Luc. I.

DOminus quasi vir pugnator Omnipotens nomen eius decreuerat olim currus Pharaonis, & exercitum eius proiicere in mare, sed antequam euaginauit gladium suum, vt interficeret eos manus eius, multa posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos. Quæ omnia admodum egregiè Psalmista enumerat. *Et conuertit in sanguinem flumina eorum: & imbres eorum ne biberent. Misit in eos cenomyiam, & comedit eos: & ranam, & disperdidit eos. Et dedit æruginī fructus eorum: & labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina &c.* Addit tandem enumeratis sufficienter omnium calamitatum signis. *Et inimicos eorum operuit mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Semper ante insignem aliquā calamitatem à Deo, irato in homines immittendam signa præcedunt. Psal: 77.

Atten-

Ante extremum iudiciū vt varia signa praecedant iustum esse.

Attendite. Compertum habemus sancta Euangelii lectione id nobis inculcante, eundem Dominum qui equum & ascensorem deiecit in mare, peccatores & omnes impios, quorum via Ægyptiacis tenebris inuoluta est, in profundissimo inferni lacu submersurum. Quam calamitatem, omnium, quæ vnquam visæ sunt maximam, vt multa eaq; terribilia signa præcedere agnoscantur, æquum & dignum esse. S. Gregorius affirmat. *Necesse est*, inquit, *vt alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur, vltima tribulatio multis tribulationibus præuenietur, quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nunciare.* Quibus malis ego pro nunc dimissis Iudicium extremum, ad similitudinem iudiciorum nostrorum celebrandum docebo. Vos beneuolas præbete aures,

Homil: 35. in Euangel.

AVE MARIA.

PRimum est, quod in iudiciis celebrandis maxima in obseruatione haberi nouimus. *Citatio rei.* Quam citationem non esse defuturam in extremo Dei iudicio sancta canit Ecclesia.

Vox nouissimæ tubæ Citatio mortuorū ad Tribunal Dei.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

PLacet etiam de hac citatione, quædam de fontibus diuinarum literarum deprompta proferre testimonia Mat. 24. *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cælorum, vsq; ad terminos eorum.* & 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus in nouissima tuba*, & Isai. 21. *Et erit in die illa clangetur in*

Testimonia sacræ Scripturæ de tuba nouissima.

tuba

tuba magna. Clausa olim erat atque munita ciuitas Iericho, & nullus ingredi audebat aut egredi, sed vox tubæ vox in magnificentia confregit mœnia eius, dicit enim Dominus ad Iosue. *Cumq; insonuerit vox tubæ, longior atq; concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus, vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturq; singuli per locum contra quem steterint.* Rectè Iericho dicitur denotare Lunam, Lunam verò quis ignorat significare mutationem. At sepulchra corpora nostra mutant in puluerem, quæ clausa desuper spectamus, nullus autem ea ingreditur aut egreditur, ad suscitanda de puluere corporis nostri membra. Sed erit tempus cum vox tubæ insonuerit, & mortui resurgent, conclamabitq; omnis populus vociferatione maxima. Sancti siquidem lætabuntur in messe, & sicut victores capta præda. Peccatores verò videbunt & irascentur, dentibus suis frement, & tabescent, desiderium peccatorum peribit. Tunc animæ illæ interfectorum propter verbum Dei, visæ subtus altare, clamantes voce magna & dicentes: vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum. lætabuntur lætitia ineffabili, eo quòd dabuntur illis singulæ stolæ albæ, (id est corpora glorificata) videbuntq; completos conseruos suos, & fratres suos qui interficiendi erant sicut & illi. Tunc videre licebit turbam magnam iustorum, quam dinumerare nemo poterit, ex omnibus gentibus, & tribubus & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & conclamabunt vociferatione magna dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum & agno. Quidam cantantes vociferabuntur. Benedictus Deus qui

Vox tubarũ mœnia ciuitatis Iericho confregit.

Magna similitudo sepultorum cum Iericho.

Diuersa sors beatorum & damnatorũ.

Lætabuntur Sancti mirũ in modum.

us qui tempus illud aduenire passus est, quo corpora nostra animabus nostris, in æternum coniungenda maximo nostro bono agnoscimus. Nonnulli dicent, scimus quia redemptor noster viuit, & rursum circumdabimur pelle nostra, & videbimus Deum Saluatorem nostrum. hodie de terra surrecturi sumus, hodie cum apparuerit similes illi erimus. hodie carnem nostram æternæ gloriæ participem videbimus. Alii cantabunt & dicent: Aduenit tempus desiderabile, & renouabitur vt aquilæ iuuentus nostra, in momento in ictu oculi, in nouissima tuba, resurgemus incorrupti, & immutabimur, rapiemurq; in aëra obuiam Christo, & sic semper cum Domino erimus. Hodie corruptibile corpus nostrum induet incorruptionem, mortale induet immortalitatem, Alii verò canticum hoc Domino cantabunt. Hodie corpus nostrum seminatum in corruptione surget in incorruptione, seminatum in ignobilitate surget in gloria, seminatum in infirmitate surget in virtute, seminatum animale surget spirituale. Hodie fiet sermo qui scriptus est absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Pleriq; dicent. Hodie absterget Deus omnem lachrymam ab oculis nostris, & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra, hodie cœlum nouum & terram nouam videbimus, hodie qui sedet in throno noua faciet omnia. Tales cantus audita nouissima tuba ex ore resonabunt sanctorum. At impii percepto illius tubæ sonitu vehementi, concutientur terrore, conclamabuntq; vociferatione maxima & dicent. Eheu nos miseros, terq; quaterq; infœlices. En audiuntur tonitrua, micant fulgura, & sonitus

Corporũ post resurrectionẽ renouatio & glorificatio causa non postrema lætitiæ Sanctorum.

Quatuor dotes corporis glorificati.

Impiorum deploranda conditio.

sonitus buccinæ crescit in maius, & prolixius tenditur. Heu quis nostram poterit abiectissimam deplorare sortem? Clangor buccinæ auditur per quem Deus ad iudicium venturus, & nos in æternum damnaturus indicatur. Citamur (proh dolor) ad tribunal Dei, vt recipiat vnusquisq; nostrum prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum. Citamur infœlices, ad quid. Ad confusionem nostram maximam, quippe reuelabuntur pudenda nostra. Citamur, ad quid? Ad intuendum Deum, ardentissimo in nos furoris igne excandescentem. Citamur, ad quid? Vt maiora tormenta diuino decreto in corporibus resumptis patiamur. Heu nos infœlices. Montes cadite super nos, & colles operite nos, ab ira ventura Iudicis. O quanta nostra (dicent) confusio in conspectu omnium hominum & Angelorum de occultissimis quibusq; sceleribus iudicari? O quantus terror Deum, ex oculis ignem spirantem, & verba in nos sicut tonitrua fulminantem videre? O quantus dolor in corpore & in anima, æternos subire cruciatus? Posthæc maledicēt diei suo, & loquentur. *Pereat dies in qua nati sumus, & nox in qua dictū est. Cōceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras non requirat eā Deus desuper & non illustretur lumine, obscurēt eū tenebræ & vmbra mortis & occupet eū caligo & inuoluatur amaritudine, &c. Quia non cōclusit ostia vētris qui portauit nos, nec abstulit mala ab oculis nostris.* Missæ sunt literæ, ad omnes Iudices Prouinciarum à Rege Asuero, vt occiderēt atq; delerēt omnes Iudæos. *Quæ cū audisset Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco spargēs cinerē capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostēdens amaritudinē animi sui. &c. In omnibus quoq; prouinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingēs erat.* Nō dispari ratione

Rationes ob quos turbabuntur timore horribili.

Iob 3.

Ab exemplo ostēditur vocem tubæ terribilem peccatorib⁹ fore.

Act: 4.

ratione, audientes impii nouissimæ tubæ terribilem clangorem, quo eos vna hora æternis cremandos ignibus significabitur, in magnas dolorum angustias proiicientur. Facies eorum commutabitur, & cogitationes eorum conturbabunt eos, vox in excelso audietur lamentationis, luctus, & fletus, damnatorum deplorantium sortem suam, & nolentium consolari, quia in inferno nulla est redemptio. Non quiescet vox eorum à ploratu, & oculi eorum à lacrymis, quia mercedem corporibus suis comparatam, ignem videlicet, & vermes adesse spectabunt. Non erit spes nouissimis eorum, sed confusi, & erubescentes lacrymabiles eructabunt voces. Sed vt magis magisq; id animis vestris illucescat, in medium afferam quæ S. Ioanni Apostolo, & Euangelistæ, de tubis cœlestibus reuelata in libro Apocalypsis, magno cum terrore inimicorum Dei leguntur. Verba sunt Sacræ scripturæ. *Primus Angelus tuba cecinit, & facta est grādo & ignis, mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.* Percepistis auribus vestris, Angelum tuba canentem, vidistis & grandinem ignitam arbores, & fœnum viride comburentem, sed quale hic contineatur mysterium si ignoratis, ego vos docebo. Mittet Dominus Angelos suos cum tuba, cuius vox cum in sonuerit. Magnates & Principes huius sæculi, qui per arbores rectè designantur potentissimo terroris ictu concutientur, quippe *potentes potenter tormenta patiētur*, & quemmadmodum vitam mortalem in terris ducentes primas quærebant cathedras, nitebanturq; summa ope cæteris eminere, ita iusto Dei iudicio primi erunt, qui illo tubæ sonitu mirandum, in mo-

Omni ex parte infælices erunt damnati.

Mirabilia quæq; de tubis refert S. Ioannes Euangel:

Apoc: 8.

Præclarè per arbores Principes mundi designantur.

Cur potentes primi debent esse ad pœnā.

in modum cruciabuntur. Quibus adiungitur fœnum viride, homines videlicet carnis suæ desideria perficientes, quæ in diuinis literis fœnum perquàm optimè nuncupatur. Vtriq; verò qualia sint verba facturi in illa hora, mox auribus vestris accipietis, vbi primum per arbores. Principes, & magnates, & per fœnum viride homines secundum carnem viuentes declarauero. *Arborem quam vidisti sublimem, atq; robustam &c* (ait Daniel ad Regem Nabuchodonosor) *tu es Rex qui magnificatus es, & inualuisti,* Isaias verò de fœno, quid loquatur audiamus. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Cadet autem in eos grando igni permixta, nam tribulabitur ibi fortis, & tradentur grandini iumenta eorum, Carnalis quippe homo est sicut equus, & mulus quibus non est intellectus, quiq; cum in honore esset non intellexit, idcirco comparatus est iumentis insipiétibus, & similis factus est illis. Non abs re me facturum existimo, si aliqua de grandine instituto nostro accommodata inferre auribus vestris voluero, nullam autem maiorem fuisse, quæq; terribiliorem incuteret timorem hac, de qua nobis sermo est liquido patebit. *Extendit Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur, tantæq; magnitudinis fuit, quantæ ante nunquã apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est, & percußit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerant in agris ab homine vsque ad iumentum, cunctamque herbam agri percußit grando, & omne lignum regionis confregit.* Valentis Imperatoris tempore. Sexto Nonas Iulii grando magnitudine inusitata lapidibus similis Constantinopoli decidit.

Optime per fœnum carnales intelliguntur.

Dan: 4.
Isa: 40.

Homo carnalis iumentũ est.

Tractatur de varijs grandinem speciebus.

Exo: 9.

Socrates histor: Eccle: lib: 4. c. 19.

Lib: 13.c.36

cidit. Admirandam quoq; grandinẽ narrat Niceph: Ab Alarico vrbe capta, inter præcipua quædam prodigia, pluribus in locis grando ſaxis manuariis maior, & circiter octonarum librarum pondus trahens deferri viſa eſt. Noſtro quoq; ſœculo eadem grandinis immanitas viſa eſt, anno Domini, 1507. vt teſtatur Surius in ſuo Commentario. In ditione Wirtembergica Rotemburgi ad Necarum fluuium, tanta fuit grandinis rabies, vt & feneſtras, & tecta ædium comminuerit. Fuit & alias ſæpe viſa grando memorabilis. Nam tanta magnitudine Paſchali primo Põtifice in Gallia deſęuiſse fertur, vt homines pecoraq; paſſim interemerit, & inter alia fruſtra viſum eſt, quod duodecim ferme pedum longitudine eſset, hac longitudine de cœlo cadens. Sed quod valde memoratu dignum videtur, in Ciſalpinis ac Romæ, anno Domini 1470. Iunio Menſe, viſa grando eſt quãtum ſtruthionis ouum. Erit etiam miraculi loco habendum, quod referunt Cremonæ, intra Diui Gabrielis clauſtra, grandinis fruſtrum cecidiſſe, circiter annum Dni. 1240. viſumq; in eo velut exſculptum crucis ſignum, Chriſtiq; faciẽ additis literis IESVS Nazarenus, cuius aquæ ſtillantis contactu, cæcus tunc quoq; illuminatus eſt, ſed & anno Dni. 1395. circiter menſe Auguſto in Aquilonari ſolo, grando viſa eſt humanas facies præferens, tum viriles, tum muliebres, illis barba addita, his crinibus appoſitis. Mirabiles certè grandinum enumeratarum ſpecies in medium prolatas audiuimus, verumtamen pace omnium dicam, nullam mirabiliorem eſſe iudico illa, quæ ad tubæ nouiſſimæ clangorem concitata, ſummo cum impetu in orbem terrarum cadet. Nec mirum, quippe

Enumerantur mirabiles grãdinis ſpecies.

Bonfin: Deca: 4. li: 2.

Vinc: hiſto. li: 30. c. 138

Crantzius li: 9. cap: 3.

quippe nulla grando ex ſupra dictis Regem aliquem ſeu Principem confregiſſe legitur, at illa omnes Reges & Principes occupabit terrore, confringetq; facile Cedros Libani, & comminuet eas, vt puluerem ante faciem venti. Adhæc ſupradictæ grandines, aut in vna prouincia, aut in aliqua ciuitate deſæuiſſe referuntur, at hæc toto orbe terrarum crudeliter vagabitur. *Tunc Dominus viſitabit ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper omnem qui arroganter ingreditur: & erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum.* Cadet autem illa grando cum ſanguine, quia tunc tribulabuntur potentes, *& ambulabunt, vt cæci quia Domino peccauerũt, & effundetur ſanguis eorum ſicut fumus, & corpora eorum ſicut ſtercora.* Et quemadmodum orto incendio, clamor ab omnibus in cœlum tollitur, omneſq; vehementer trepidant, diſcurrunt, vociferantur, ſtare loco neſciunt, ſed modo huc modo illuc vagantur, ſic illi grandine ignita cadente. Principes cæteriq; omnes homines quorum venter Deus erat, maxima trepidatione circumdabuntur. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos.* O grandinem admirabilem. O diem terribilem. O Ignem inextinguibilem. O vocem tubæ horribilem. Hinc illi miſeri ſummo timore perculſi in hos prorumpent clamores. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Quomodo ſedemus ſoli olim circumdati pleno populo, quaſi vidua Domini Gentium. Principes Prouinciarum facti ſumus ſub tributo. Omnes amici noſtri, aulici noſtri, conſiliarii noſtri ſpreuerunt nos, non eſt qui conſoletur nos ex omnibus charis noſtris,

Rationes cur grando per ſonitum tubæ excitata ſit cæteris mirabilior.

Soph. 1.

Dantur rationes cur ignita & ſanguinolenta ſit futura illa grando.

Soph: 1.

Sap: 5.

Magnatum & Principũ lamentatio.

ſtris, quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, olim fuimus in Regnis noſtris Filii inclyti: & amicti auro optimo, nunc quomodo reputati ſumus in vaſa teſtea, opus manuum figuli. Abſtulit nos omnes magnificos, Dominus de medio terræ, vocauit aduerſum nos tempus vt cōtereret nos. Palatia noſtra ampliſſima, vaſa aurea & argentea, numeroſa familia, greges virginum, cohortes militum, eheu modo non comparent. *Tranſierunt omnia tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterit non eſt veſtigium inuenire.* O inſperatam & ſubitaneam mutationem. Olim timebamur, nunc ipſi timemus, olim regnabamus, nunc præ anguſtia cordis gemimus, olim lætā ducebamus vitam, nunc plorantes ploramus, & lacrymæ in maxillis noſtris. O nos miſeros & in felices, qui errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non luxit nobis. Tam lugubris vox optimatum audietur. Non diſſimilis cantus Epicureorum, quos fœnum illud viride deſignabat per aëra reſonabit. Magnificauimus (dicent) opera noſtra, & ædificauimus nobis domos, fecimus hortos, & pomœria, & conſeuimus ea cūcti generis arboribus. Poſſedimus ſeruos & ancillas, multamq; familiam habuimus, armenta quoq; & magnos ouium greges, coaceruauimus nobis aurum & argentum, fecimuſq; nobis cantores, & cātatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos & vrceolos ad vina fundenda. Et omnia quæ deſiderauerunt oculi noſtri, non negauimus eis, nec prohibuimus cor noſtrum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueramus, ſed nunc videmus in omnibus vanitatem, & afflictionem

Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Olim fœlix nunc miſera Magnatum conditio.

Lamentātur damnati.

Voluptates carnales cruciat⁹ animæ.

flictionem animi, & qui vescebamur voluptuosè amplexabimur stercora: væ nobis quia peccauimus. Ergo liquido constat, per grandinem illam, terrores, quibus concutiendos optimates, per arbores significatos diximus, debere significari. *Et secundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis, & mortua pars tertia creaturæ eorum: quæ habebant animam in mari, & tertia pars nauium interijt.* Mare, communi omnium sententia, mundum denotare confirmatur. Primò quia est multorum periculorum contentiuum, est enim mare periculosum. Primo propter motum. Math. 8. *Motus magnus factus est in mari*, propter quem motum mare est tempestuosum: procellosum, & tumultuosum. Et ita mare mundi est tempestuosum ex Guerra, procellosum ex infortuniis, tumultuosum ex iniquitatibus & vitiis. 2. Cor. 11. *Periculis in mari.* Secundò propter ventum. Est enim in mari impulsio contrariorum ventorum. Dã. 4. *Quatuor venti pugnabant in mari*, nam vt ventus Auster est præsens prosperitas, vt Aquilo aduersitas, orientalis, inspiratio gratiæ, Occidentalis, suggestio malitiæ. Tertio est periculosum propter defectum tam scilicet nauis quam nautæ, id est gubernantis. Nauis enim siue lignum, cum quo habemus transire hoc mare: est nostrum corpus, quod est vas fragile propter passibilitatem: graue propter peccati onerositatem, & multis foraminibus penetrabile propter sensuum susceptibilitatem. Sunt enim sensus vt foramina quædam per quæ multa mala ingrediuntur. Itẽ est frequenter defectus nautæ periti, id est rationis prudenter regentis. Omnia hæc pericula sentiunt homines periti, in mari huius mundi. *Qui nauigant mare* Eccl: 14.

Secund⁹ Angelus tuba canit.

Ex Summa Magistri Ioannis de S. Geminiano Ordinis Fra. Prædicator: de Similitudinibus rerũ.

Magnã habet mundus similitudinem cum mari.

Corpus nostrum periculosa nauis est

narrant pericula eius. Secundò mare eſt animantium, & multiplicium monſtrorum productiuum.

Mare ſemper plenum periculis. Pſ:

Hoc mare magnum & ſpacioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus. Ita in mari mundi, ſunt animantia diuerſa, & monſtruoſa multa, non tantum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter. Sunt enim in mundo homines animales, id eſt ſenſuales, ad modum piſcium, ſecundum illud. Facies hominis ſicut piſces maris, & dicuntur

Varia in mũdo monſtra inter homines videre licet.

animales, id eſt ſenſuales, non ſapientes illa quæ Dei ſunt, quia animalis homo non percepit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Item ſunt monſtruoſi velut illæ belluæ, de quibus dicitur Dan: 4. quæ ſurgebant de mari. Nã prima quæ erat ſimilis Leoni: ſignat ſuperbiam vitæ. Altera, quæ erat ſimilis vrſo, ſignat voluptatem car-

Mirabilis Danielis Prophetæ viſio.

nalis concupiſcentiæ. Tertia quæ erat ſimilis Pardo, ſignat cupiditatem auaritiæ. Quarta, quæ habebat dentes ferreos, & terribiles, ſignat crudelitatem malitiæ. Tertiò, quia mare eſt nubium, & nebulæ, & ventorum generatiuum. Et ſimiliter etiam mundus generat nebulas errorum, nubes vitiorum, ventos perſecutionum ſiue tentationum, propter quas præ-

Qui carnaliter viuunt, porci rectè vocantur.

cipitantur, & ſuffocantur multi, Mar: 5. *Grex præcipitatus eſt in mare*, & fuit grex porcorum, id eſt hominum carnaliter viuentium. Quartò, quia mare eſt Lunæ imitatiuum, dicit enim Philoſophus in libro de proprietatibus elementorum, quod mare imitatur naturam

Sicut luna in ſuo curſu mutabilis ſic fortuna in ſuo ſtatu inſtabilis.

lunæ, nam ſicut Adamantem ſequitur ferrum, ſic mare ſequitur lunæ curſum, vnde ſemper eſt mare in ſummo augmento, & vigore, quando luna eſt plena lumine: ſiue verſus cœlum, vt in nouilunio ſiue verſus terram, vt in plenilunio. Et ſicut luna in ſuo lumine plus proficit vel deficit, ſic mare creſcit amplius.

plius vel decreſcit. Sed ſicut mare imitatur lunam, ita mundus ſequitur fortunam, vnde ſicut creſcit vel minuitur fortuna alicuius, ita multum vel parum ei applaudit mundus, vnde meritò dicitur. Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos. Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris. In hoc igitur mari animam habere dicuntur, qui cor ſuum omneq; ſtudium operam, diligentiam, curam ad piſcanda mundi bona conferunt, qui omnes ad ſonitum nouiſſimæ tubæ, acutiſſimo doloris & terroris gladio tranſuulnerati, mori quodammodo videbuntur, eò quòd mons ardens de cœlo, in mare decidiſſe, ab illis ſpectabitur. Intelligite. Mons ardens quandam cœleſtem illuminationem, qua damnati omnia mundi bona fuiſſe vana, & inania ſuæq; damnationis certiſſima inſtrumenta cognoſcent, ſignificat. Res illuſtrior reddetur exemplo, Dan: 2. *Tu Rex videbas, & ecce ſtatua vna grandis, ſtatua illa magna, & ſtatua ſublimis, ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento. Porrò venter & femora ex ære: videbas ita donec abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percußit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs argentum & aurum, & redacta quaſi in fauilla æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nulluſq́; locus inuentus eſt eis, lapis autē qui percuſsit ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Dum huius lucis vſura fruuntur homines, bona mundi magni æſtimare cōſueuerunt, illique qui abundantia terrenarum poſſeſſionum cæteros antecedunt: terribiles tenuioris fortunæ hominibus eſſe ſolent. Sed ante iudicium pluet Dominus ignem, ſuper vniuerſum mundum, quippe ignis exardeſcet in conſpectu eius, & ſubuertet ciuitates omnes,

Tempore calamitatis ab omnibus deſeritur homo.

Mons cœleſte quoddam lumen quo damnati illuſtrabuntur ad cognoſcendam in rebus à ſe dilectis vanitatem ſignificat.

Mirabile Regis ſomnium.

Mundi bona in oculis hominū modo ſplendeſcunt.

omnes, & omnem regionem, & cuncta terræ virentia, in fauillam redacta spectabuntur. Mons verò igni tus crescet, & implebit vniuersos terræ angulos. Etenim in illa hora resurrectionis hominum, quibus nunc diuitiæ, aliæq; humanarum rerum facultates, magni pretii esse videntur, minus valere inuenientur, & pro stercore reputabuntur. Nunc hominum intellectus, exigua cognitionis scintilla de rerum terrenarum vanitate penitus cognoscenda illustrat, at in illo momento, mons totum implebit orbem, orietur quidam ignitus mons eorum intellectui, vt facili negotio quocunq; oculos coniecerint vanitaté, in omnibus insitam fuisse intueantur. O montem admirabilem, qui oculos illuminabis mortalium ad cognoscendas tenebras quas toto corde dilexerunt. Legimus montes esse admirabiles, de quibus nunc ex occasione, vt noster sermo aliquem suscipiat tractatum, rei nostræ per quam idoneum, nemini debere esse molestum existimo. In Islandia Insula, (inquit Surius) mons est occidentem versus, Hecla dictus, à quo non longè absunt fodinæ sulphuris, quod inde copiosissimè plenis nauibus euehitur. Mons ille cum furit, haud secus atq; horrenda tonitrua insonat, proiicit ingentia saxa, sulphur euomit, cineribus egestis, terram circumcirca tam longè operit, vt ad vigesimum lapidem vel milliare coli non possit. Sunt ibi voragines multæ, ita cineribus opertæ, vt vix euitari possint ab illis, qui vt eius incendii naturam explorent, propius montem accendunt, è quibus pleriq; viui à voraginibus absorbentur. Emergit illic ignis quidam, qui aquam absumit stuppam non absumit. Plinius Iunior scribit, de quodam monte mirabilia,

Tempore Iudicij omnia fuisse puluerem, damnati intelligent.

Nunc homines cæci sunt in aduertenda rerum humanarum, instabilitate, tūc autē iustissimo visu cunctam in omnib⁹ vanitatem penetrabunt.

Surius in Cōmentario A. D. 1537. Hecla mons ignes euomens.

Aqua ab igne consumitur stuppa vero non.

bilia quæq; ad Cornelium Tacitum Historicum, ita se habent eius verba. Erat auunculus Plinius Miseni, Classemq; imperio præsens regebat, Calendis Nouēbris hora fere septima, mater mea indicat ei apparere nubem inusitatam, & magnitudine & specie, surgit ille, & vt è Sole solebat, frigida gustata, poposcit soleas, ascendit locum, ex quo maximè miraculum illud conspici poterat. Nubes incertum procul intuentibus, ex quo monte (Vesuuium fuisse, postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem & formam non alia magis arbor, quam pinus expresserit, Nam longissimo velut trunco efflata in altum, quibusdam ramis diffundebatur, candida interdum interdum sordida & maculosa. Magnum id prorsusq; noscendum, vt eruditissimo viro visum est. Quadriremem ascendit, omnes illius mali motus omnes figuras, vt deprehenderat oculis, dictauit enotauitq; Nam nauibus cinis inciderat, quo proprius accederet, calidior & densior. iam pumices etiam, nigriq; & ambusti, & fracti igne lapides, iam vadum subitum, ruinaq; montis littora obstantia. Interim dum apud Pompeianum Senior Plinius iam consedisset, è Vesuuio monte pluribus locis latissimè flammæ atq; incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebras noctis recipiebat. Area ex qua dieta adibatur, ita iam cinere mixtisq; pumicibus oppleta surrexerat, vt si lōgior in cubiculo mora esset, exitus negaretur, crebris vastisq; tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire, aut ferri videbantur. Sub dio rursus quanquam leuium exesorumq; pumicum casus metuebatur, ceruicalia capitibus imposita linteis constringunt, id muni-

Nubes ignita quasi pinus.

Homo rerū causas naturaliter scire desiderat.

munimentum aduersus incidentia fuit. Iam dies alibi illic nox omnibus noctibus nigrior, densiorq; quã tamen faces multæ, variaq: lumina soluebant. Deinde flammæ flammarumq; prænuntius odor sulphuris, alios in fugam vertunt: ipse verò Plinius duobus seruis innixus, statim concidit, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoq; stomacho interiit. Est igitur cum his commemorandus mons Idæus, de illo Mela. Orientem (inquit) solem Idæus aliter, quam in aliis terris solet, aspicit, ostenduntur namq; ex summo vertice eius spectantibus pene à media nocte, sparsi ignes passim micare, vt lux appropinquat, ita coire, ac se coniungere videntur, donec magis magisque collecti pauciores subinde, & vna ad postremum flãma ardeant, ea cum diu clara, & incendio similis effulsit, cogit se ac rotundat, & fit ingens globus, diu is quoq; grandis, & terris adnexus apparet, deinde paulatim decrescens, & quantò decrescit eò clarior, fugat nouissime noctem, & cum die iam Sol factus attollitur. Flagrat etiam in Phaselide mons Chymera, & quidem in mortali diebus ac noctibus flamma, Ignem eius accendi aqua, extingui verò terra aut fœno Gnidius Ctesias tradit. Eadem in Lycia Hæphestii montes tæda flammante tacti flagrant adeò, vt lapides quoq; riuorum & arenæ, in ipsis aquis ardeant, aliturq; ille ignis pluuiis. Baculo si quis ex iis accenso traxerit sulcos, riuos ignium sequi narrant. Profecto hi montes summa omnium admiratione digni. Sed tamen mons ille de cœlo ardens, maiori admiratione excipiendus, tum quia de cœlesti altissima regione, magno cum impetu descẽsurus, (quod de nullo alio monte aliquid simile refertur,) tum quia tertiam

Mors Plinii

Mel: lib: 1. cap: 6.

Idæus mons eiusq; flamma mirabilis.

Plinius li. 2. cap: 106.

Mirandum ignem ali aqua, & extingui fœno.

tiam partem creaturæ, & nauium in mari existentium combusturus sit; & quanquam hi montes suis ignibus soluant tenebras, visuiq; hominum, ad inspiciendas in noctibus vias adiumento sint, tamen hoc non longo locorum interuallo, nec omnium hominum oculis, sed tantum propè accedentium, illud præstant beneficium, at ille mons totum implebit orbem, adeòq; lumen effundet suum, vt omnis quanta fuerit in rebus mundanis vanitas, eò lucente intelligere poterit. *Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur absynthium, & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Fontes & fluuii in Sacra scriptura voluptatis licitæ, & illicitæ certissima semper fuere hieroglyphica & indicia: dicitur siquidem. *Torrente voluptatis potabis eos Domine.* Et Ierem: 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, id est, me qui sum summa voluptas, & deliciæ filiorum hominum spreuerunt, & quæsierunt alios fontes, alias videlicet consolationes.* Quibus ex locis colligitur, per fluuios & fontes voluptates designari. Hæ omnes hominibus tempore iudicii vertentur in absynthium. Sed quære à Ieremia, quem exitum habeant opipara conuiuia, & respondebit in persona Domini. *Ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo ei aquam felis.* Nunc vestiuntur mollibus; & elegantibus vestibus. Sed interroga Isaiam, quid has lautitias excipiat, & respondebit. *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & composito gradu incedebant, decaluabit verticem Dominus filiarum sion, & Dominus crimen earum denudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum, &* erit

Cur mirabili & mons de cælo cadens.

Tertius Angelus tuba canit.

Flumina & fontes voluptatum indicia.

Deus summũ bonũ summaque voluptas, reliqua omnia absq; Deo nihil sunt.

Hier: 9.

Isa: 3.

Qui vestiũtur mollibus denudabũtur

erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine caluitium. Nunc delicati & voluptuosi, per spatiosam & speciosam viam incedunt. Sed quære a sapiente quisnam sit terminus huius viæ.

Eccl: 21.

Via inquit *peccantium complanata est lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ,* Complanata inquit veluti lapidibus perpolitis, vt suauiter incedentes crura explicent, & ornatè, & pompaticè gradiantur, sed finis est præcipitium sempiternum.

Via impiorũ speciosa, sed terminus miserrimus.

Nunc deniq; videbis impios in excelso dignitatum gradu constitutos, sed interroga Dauidem, & dices.

Psal. 36:

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedrus Libani transiui, & ecce non erat, quæsiui, & non est inuentus locus eius.

Isa: 77.

Et Isai. *Descende sede in puluere filia Babylon, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum.* Loquitur cum Babylonia, quæ tanquam Regina in solio excelso sedebat, quæ ad puluerem vsq; deiicitur, quia tandem filiis Babylonis omnia commutabuntur in peius, Gloria scilicet in dedecus, facietas in famem, pulchritudo in deformitatem, diuitiæ in paupertatem, voluptates in tormentum sempiternum. Omnesq; carnales consolationes in aquam felis, & amaritudinem absynthii.

Consolationes conuertentur in tribulationes & chara in amara.

Prou: 5.

Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium. Tunc audire licebit homines voluptatibus dum viuerent indulgentes, & huius mundi bona ambabus manibus colligentes, in hæc verba magno cum dolore prorumpentes. Eheu nos miseros, qui errauimus a via veritatis, & diximus malum bonum, & bonum malum, in labore hominum non flagellabamur, sed genio seruientes ducebamus in bonis dies nostros, tenentes tympanum & cytharam, gaudebamus ad sonitum organi. Fruebamur bonis quæ fuerunt, & vsi

Enumerant suas voluptates impii.

sumus

ſumus creatura tanquam in iuuentute celeriter. Verum quid hoc nobis profuit? Laus noſtra, & lætitia noſtra breuis, & gaudium noſtrum adinſtar puncti. Ecce quomodo riſus noſtros dolor, & extrema gaudii occupauit luctus. Verſa eſt in luctum Cythara noſtra, & organum noſtrum in vocem flentium. Quid profuit nobis quod annis multis vixerimus, & in his omnibus læti fuimus, ſiquidem venerunt dies mali, & tempus tenebroſum, in quibus abſtulit Dominus ornamenta noſtra, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia. En quomodo vanitatis arguuntur præterita. Vbi ſunt ampliſſima illa palatia in quibus habitauimus deliciis affluentes? Vbi horti amæniſſimi? vbi famuli numeroſiſſimi? vbi virginum greges ornatiſſimi? Omnia tranſierunt ſicut vmbra, & ſicut nuntius præcurrés præteriit figura huius mundi. Væ nobis quia peccauimus. Quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars ſolis &c. Quintus tuba cecinit, & egreſſæ ſunt locuſtæ. Sextus tuba cecinit &c. & exercitus quidam deſcribitur. Septimus poſtquam tuba cecinit proclamatum eſt amplius tẽpus non ſupereſſe, & hæc omnia ſuis locis tractabuntur. De Quarto & Sexto mẽtionẽ faciemus, cum Accuſatores aduerſ⁹ peccatorẽ inſtructos produxerimus. Quintum Angelum condigna cõmemoratio excipiet, cum de reis ad tribunal Iudicis producẽdis ſermo orietur. Septimus verò noſtrã de extremo Iudicio cõcluſionẽ terminabit. Hactenus dicta de citatione ſufficiat. Obſecro vos Auditores, ſonet ſemper in auribus veſtris hęc vox nouiſſimæ tubæ, fiet vt memores nouiſſimorum non peccetis, ſed in timore Dni, operabimini ſalutẽ veſtrã, & ſic ſẽper Dno adhærebitis. AMEN.

Omnia verſa eſſe in luctũ deplorãt.

Nihil impiis ſuperent eorũ quæ poſſident.

De reliquis Angelis tuba canentib⁹ ſuo loco dicitur.

Quibus in locis de reliquis Angelis tractabitur.

Breuis admonitio ad Auditores, nam in fine tractatus cõcluſio vehemens & fuſa dabitur.

ALTERA ORATIO ECCLESIASTICA

De Accusatoribus.

Persona Instigatoris in iudicio necessaria est.

Aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Psal: 49.

ABsoluta Reorum ad Tribunal Dei citatione operæ pretium esset, vt de ipsis reis sermonem sequentem institueremus, sed quoniam copiosi fuimus in eorum describendo statu, cum illos lamentantes & deplorantes suam abiectissimam sortem produxerimus, supersedendum huic labori, (ne dum breuitati studemus, nimia longitudine dicendi lectorem deterreamus) censeo. Quinti nihilominus Angeli tuba canentis, hoc loco faciendam mentionem sicut verbo promisimus, ita effectu ipso ostendere volumus. *Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram. Et data est ei clauis putei Abyssi. Et aperuit puteum Abyssi, & ascendit fumus putei. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram.* Quid aliud locustæ nisi homines, quorum Deus venter est significant, quippe notum vniuersis est, has bestiolas, cetera membra parua, solum ventrem maximum habere: per eumq; illos quia ventrem variis ciborum ferculis, diuersisq; voluptatum oblectamentis nutriunt, designare. Qui omnes

Gaudent breuitate moderni.

Apo: 9.

Locustæ homines ventri seruiētes significant.

omnes egressi ad sonitum tubæ, *quærent mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Sed nos dirigamus cursum Orationis nostræ, ad eos describendos qui Instigatoris officio functuri sunt.

AVE MARIA.

ADerunt quam plurimi in illa hora contra peccatorem Instigatores, Auditores in Christo dilecti. Quidam de cœlesti Patria, Alii de terrestri regione, Alii etiam de Subterranea Plutonis Monarchia. Etenim: *Aduocabit Dominus cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Canet Sextus Angelus tuba. *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia,* desuper contra iniquos aduolabunt. Et videbuntur, *equi in visione, & qui sedebunt super eos, habebunt loricas igneas, & hyacinthinas & sulphureas, & capita equorum erunt sicut capita Leonum, & de ore eorum procedet ignis, & fumus & sulphur.* O terribilem exercitum aduersus iniquorum legiones instructum. Et Angeli quidem cœlestes illi Spiritus ab omni labe peccati semper liberi, primam in hoc officio Instigatoris prouinciam asumment. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere sedente Lot in foribus ciuitatis. Dixerunt autem ad Lot. Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias. Omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac, delebimus enim locum istum, eò quòd increuit clamor coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Cum Deus Omnipotens igne æterno puniturus adueniet peccatores; exibunt Angeli, & segregabunt iustos de medio impiorum, sicut eduxerunt Lot à Sodomitis, & posuerunt extra ciuitatem. Et tunc ignem lucidissimum mittent super iniquorum sinistras cohortes. Nam sicut igne accensa candela omnibus qui in domo

Varii in iudicio Accusatores.

Apo: 9.

Exercitus accusatorum, videbit cum sextus Angelus canet tuba.

Gen: 19.

Angeli primi in accusando erunt.

Segregabunt bonos de medio impiorũ ad dextram Iudicis.

Per ignẽ ab Angelis demissũ quid intelligitur.

domo sunt lucet, sic accusatione Angelica in medium prolata, occultissima quæq; iniquorum scelera sicut in lucidissimo speculo cunctis visibilia apparebunt. Quomodo in futurum sit breui, & luculenta ostendam similitudine. Quemadmodum si duo folia chartæ candidæ assumantur, atq; in vno eorum succo limonum, in altero verò aqua characteres aliquot describantur, neutrius scriptura conspici, vel legi poterit: at si eadem folia igni admoueantur, vnius quidem in quo characteres aqua exarati fuerunt, scriptura euanescet, chartaq; nullam omnino maculam aut literulam præteritæ scriptionis ostendet, sed tota reddetur candida, alterius verò in quo characteres succo limonum descripti fuerunt, scriptura non aliter ac si atramento scripta fuisset conspici, & legi poterit. His foliis, auditores Iustorum & improborum conscientiæ similes sunt. Conscientiæ iustorum aqua tribulationum, & lacrymarum è corde contrito & humiliato profusarum inscriptæ sunt. Peccatorum verò succo sensualitatis, & voluptatum huius mundi. Singula peccata singulæ sunt literæ, quos improbi homines in conscientiæ suæ charta exarant. Cæterum interea temporis, dum homines iusti & peccatores in hoc mundo viuunt, hæc scriptura conspici nequit. Multi enim existimantur iusti, qui sceleribus variis implicati sunt: Multi contra peccatores, qui occulta iustitia, & sãctitate clarent. Iudicii verò die omnia manifestabuntur. Tunc enim folia conscientiarum nostrarum, igni, id est, verissimæ & lucidissimæ Angelorum relationi, admouebuntur quæ aqua vti dictum est inscriptæ sunt, nullæ conspicientur labes, & maculæ, sed prorsus candidæ

Gabriel Inchino Can: Regul: de Iudicio extremo.

Similitudo pulchra.

Cognoscere vere iustũ, & vere impium in mũdo difficile nescit homo an odio, an gratia sit dignus.

candidæ & ſpecioſæ erunt. In eorum verò conſcientiis quæ ſucco limonum, id eſt ſenſualitatis & voluptatum, terrenarum inſcriptæ ſunt, tot ſcelera & flagitia exarata cernentur, vt omnino nigræ, deformes, & aſpectu fædæ futuræ ſint. Omnia quippe & ſingula eorum peccata, ita ab Angelis accuſantibus reuelabuntur, vt quilibet ea diſcernere & videre poſſit. Dicent ergo. Domine pluſquam Balaam hi, qui profectus maledicere populo Iſrael, cum aperuiſses oculos eius, & vidiſſet Angelum ſtantem euaginato gladio, adorauit eum pronus in terram: dixitq;. Peccaui etſi placet tibi vt vadam, reuertar. Multi ſunt Domine de numero horum impiorum, qui viam nequitiæ dum ingredi ſtuderent, occurrebamus nos cum gladio adiutorii, paratos nos eſſe oſtẽdentes ad congrediendum cum eorum hoſtibus modo cõſenſum præbere nõ recuſarẽt, occurrebamus, cum gladio terroris, manifeſtantes illis venturam iram tuam, quam ſceleribus ſuis eſſent prouocaturi, ſed illi petra duriores, reuerti à viis ſuis peſſimis noluerunt. Toties eos alloquebamur. Reuertere, reuertere ſunamitis, vt intueamur te, & illi audire cõtempſerunt. Ergo æquiſſime Iudex, euagina gladium tuum, & interficiat eos manus tua. Vbi ô iniqui pro noſtris beneficiis gratitudo? Vbi amor noſtro erga vos amori correſpondens? Vbi honor nobis debitus? Portabamus nos in manibus veſtris, ne forte offenderetis ad lapidem pedem veſtrum, vos verò quam gratiam pro tam inſigni cuſtodia retuliſtis? Quæ coram viliſſimo homine perpetrare non audebatis, hæc in oculis noſtris facere non erubeſcebatis. Veſtro vos volumus ferire gladio. Nunquid non verum

Omnia ſcelera in iudicio patebunt.

Num: 22.

Qui Angelis non obediũt peiores ſunt quam Balaã

Angeli ſicut pædagogi monẽt, ſuadent terrent.

Sũma peccatorũ ingratitudo erga Angelos.

Benefactor ſemper colendus.

verum est, & à vobis ipsis semper obseruatum, beneficia deuinctum illum tenere, cui conferuntur, igitur tot tantaque à nobis erga vos beneficia profecta, an non merebantur aliquam gratiarum actionem, & gratitudinem? Æquissime Iudex, nec tu propter hanc insignem gratiam digna, & competenti satisfactione ab illis præuentus es, nec nos famuli tui vllo in honore apud illos habiti, imò quasi abiecti fuimus. Tu quoq; in nostra iniuria despectus es, vlciscere Domine, & quem agnoscere noluerunt benefactorem agnoscant seuerissimum vltorem. Sed ò Angeli Dei, liceat obsecro mihi indignissimo peccatori vos beatas mentes alloqui. Quis credet auditui nostro? aut quis erit, qui tam subitaneam in vobis aduersus nos mutationem summa admiratione non excipiet. Vos ex amicis nostris fidelissimis nostros futuros implacabiles accusatores? ex tutoribus instigatores? ex custodibus accerrimos aduersarios, quis non mirabitur. O admirabilem methamorphosim. O boni Angeli. Vos ne contra peccatores causam agetis: vtiq; vos Patroni nostri, amici nostri, benefactores nostri estis? Misereminì nobis in illa hora saltem vos amici nostri. Sed væ nobis, quia nolumus audire admonentes, audituri sumus Instigantes, ne igitur audiamus accusantes, audiamus nobis quæq; salutaria persuadentes. Sancti quoq; qui in carne positi certamen habuerunt, & iam merces laboris in iudicio particulari reddita est eis, acerrimos se se aduersus impios Instigatores exhibebunt. Peccauit Israeliticus populus, vitulo aureo diuinum tribuens honorem, quo illorum pessimo scelere Deus vehementer accensus, eos iam de medio tollere decreuerat, nisi S. Moysis oratio-

Magnū scelus, nec Deus nec Angeli à peccatoribus honorātur.

Apostrophe ad Angelos,

Mutatio in Angelis aduersus iniquos.

Sancti accusabunt peccatores.

oratione feruenti præpeditus, & placatus fuiſſet. Qui Domino placato, de monte deſcendens ait. *Si quis eſt Domini iungatur mihi. Congregatiq́; ſunt ad eum omnes filii Leui. Quibus dixit. Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite & redite de porta vſq́; ad portam &c. & occidat vnusquiſq́; fratrem, amicum, & proximum ſuum, feceruntq́; ita.* Non diſpari ratione ſancti Dei, dextræ altiſſimi in veſtitu deaurato ignitæ charitatis adhærentes, cōtra peccatores ſunt progreſſuri. Nunc quidem quemadmodum & Moyſes peccatorum in cœleſti curia cauſas agunt, diuinam iram eorum ſceleribus accenſam extinguunt, gladium eius euaginatum, iterum in vaginam imponunt. Verumenimuerò poſtquam cum Iudice, ad diſcutienda eorum opera deſcenderint, depoſito manſuetudinis molliſſimo veſtimento, induent ferrea arma, & qui pro eis toties ſupplicantes ad Deum accedebant, contra eos ſeueriſſimi accuſatores conſurgent. Sicq; alloquentur Iudicē pro Tribunali ſedentem. Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, æquitatem vidit vultus tuus. Vidimus nos ingentes diuinæ gratiæ cumulos, erga iſtos peſſimos peccatores à te exhibitos, quibus illi ad meliorem frugem nunquam reduci ſeſe patiebantur, ſed te derelicto, hiſq; beneficiis deſpicatui habitis, abierunt in conſilio impiorum, & in via peccatorum ſteterunt, & in cathedra peſtilentiæ, ſederunt. Nos, dicent mundo corde, carnalibus, modum caſtè pieque viuendi, & ab omnibus luxuriæ inquinamentis abſtinendi, exēplo noſtro oſtendimus, toties hæc audierunt, quidā ex illis legerunt, & admirati ſunt. Cur ergo noſtra tenere veſtigia noluerunt. Nos in eadem naui, & in eodem mari nauigantes, feliciter ad optatum portum

Exo: 32.

Nunc Sancti in cœlis exiſtētes pro nobis orant in die iudicii contra nos, ſi male egerimus conſurgent.

Oratio Sanctorū ad Deū

Obiurgatio peccatorum.

In eadē carne Sanctæ virgines vicerūt hostem & carnales homines cum vincuntur.

tum peruenimus, illi cur naufragium passi. Nos ventos aduersos turbinesq; procellarum vehementes sēper experti, nauem tamen mergi non permisimus, illi vix aliqua tempestate tentationum impediti, clauo rationis remisso, velisq; depositis spontaneum subiere naufragium? O manus dissolutas ac remissas, laborisqne impatientes. Conuersiq; ad eos. Eia inquient pessimi homines, noluistis semitas nostras tenere, sed potius secuti estis desideria cordis vestri. Idcirco dignos vos iudicauimus æternis cremandos ignibus, & infernalibus tradendos ad cruciandum tortoribus. Pluris æstimastis carnem vestram quam Deum, scientes nos corpus nostrum castigare, & in seruitutem redigere solitos fuisse, nec vnquam ei obedire voluisse. Nunc ergo ô Domine, profer illam Sacrosanctam sententiam. Quantum glorificauit se in deliciis, tantum illi date tormentum & luctum. Dicent etiam pauperes spiritu. Nos omnia reliquimus propter te, Iudex æquissime, & secuti sumus te, sciuerunt hæc, sed intelligere scientes noluerunt, totoque pectore incubuerunt, in res mundi colligēdas: quarum possessio dulcior atq; iucundior illis fuit, quam tua gratia & benedictio. In eadem acie & cum iisdem hostibus dimicauimus, nos ex hoste victoriam reportauimus, illi cur victi hostibus manus dederunt? In eodem stadio quo & ipsi currebamus, nos accepimus brauium, quia currentes ab omnibus abstinebamus, illi apparent in conspectu tuo vacuis manibus. Ergo profer illud iustissimum decretum. Qui plus dilexit agros &c. non est me dignus. Tandem ad auaros. Quid vobis profuit coniungere domum domui, & agrum agro. dormiuistis somnum vestrum

Peccatores nolunt sanctos sequi in domandæ carne.

In eadem pugna Sancti victores impii victi.

vestrum & nihil inuenistis in manibus vestris. Nunquid illam salutarem doctrinam, toties in Ecclesiis celebratam, & prolatam non audiuistis. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ibi nec fur aufert nec tinea demolitur, cur vobis non fecistis amicos de mãmona iniquitatis, vt nunc vos quando defecistis reciperent in tabernacula sua. Vbi nunc bona illa quæ cum ardentissimo affectu, congregastis? Vbi ditissima prædia? vbi iuga boum? vbi filiæ vestræ compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi? Vbi prõptuaria vestra plena, eructantia ex hoc in illud? Vbi oues fætosæ abundantes in egressibus suis? vbi boues crassæ? En quomodo præteriit figura, illius mundi. Ergo æquissime Iudex sepeliantur in inferno, mẽdicentq; guttam aquæ, & non tribuatur eis. Aderit & teterrimus dæmõ cum suis numerosis cohortibus, & expediet aduersus peccatores potentissima querelarum iacula iuxta verba S. Ioannis Euangelistæ. Apo: 12. *Diabolus accusator est fratrum, qui accusabit eos ante conspectum Domini Dei nostri.* Eia dicet Iudex æquissime, hi vilissimi terræ vermiculi, à te gratuito, & immenso amore tantæ maiestatis Domino præuenti, tot tantisque beneficiis à te affecti, vt pote à te creati, conseruati, redempti, illuminati, nutriti, vocati, iustificati, electi, dotati. Ad hæc intelligentes te omni reuerentia, laude, amore, & obsequio superdignissimum: scientesq; voluntatem tuam, & quæ præparata sint tibi obtemperantibus præmia. Nec ignorantes quæ reseruata sint inobedientibus supplicia, post receptam à te toties peccatorum veniam, post gustatam tui spiritus dulcedinem, habentes multas occasiones peccata euitandi, & bona operandi. Facile absq;

Apostrophe Sanctorũ ad auaros & diuites.

In cœlo thesauri vtiles

Psal: 143.

Malus dæmõ accusator peccatorũ acerrimus.

Apo: 12.

Beneficia malis à D. Deo collata eos damnabunt.

Seruus sciẽs volũtatem Dni. & non faciens multis plagis vapulabit.

le absque graui tentatione, pro vilissima & breuissima delectatione, impudenter, absque diuinæ tuæ præsentiæ respectu, reuerentia & timore, non semel atque iterum, sed supra numerum, in te & coram te peccauerunt seseq; a te summo, & vnico bono sponte auerterunt, & ad vanissimam creaturam se conuerterunt, voluntatem suam peruersam & iniquam, ac noxiam, tuæ sanctissimæ, æquissimæ, & salutiferæ voluntati prætulerunt. Tua præcepta & consilia, proposita etiam sancta, mature tecum & pro tuo honore facta neglexerunt, & transgressi sunt: vt meas aut immundissimæ carnis, & sensualitatis suggestiones sequerentur. Quæ omnia faciendo infinitam tuam *Maiestatem*, dignitatem, & excellentiam (quam super omnia adorare, colere, & obseruare debuerãt) toties offenderunt. Tuam præsentiam & sapientiam eos semper, & vbiq; intuentem & considerantem, (in cuius conspectu debuerant cum omni reuerentia & humilitate, in omni sanctitate, & iustitia ambulare, & stare) toties inhonorauerunt: coram te peccare non erubescentes, quod ad maximam tui irreuerentiam & contemptum fuit. Tuam inæstimabilẽ bonitatem, & omnimodam perfectionem, omnium creaturarum bonitates & perfectiones, causantem, conseruantem, in se continentem, & infinite superexcedentem (quam supra omnia appretiare præeligere, & appetere debuerant) toties flocci fecerunt, eamq; postposuerunt vilissimæ & vanissimæ creaturæ & delectationi, in quo summam tibi iniuriam irrogauerunt. Tuam charitatem, erga eos æternam, gratuitam, nimiam, & prorsus immensam (cui per reciprocum amorem respondere debuerant) toties con-

Deo spreto se qui dæmonẽ & carnẽ scelus pessimũ.

Maiestas diuina peccãdo contemnitur.

Præsentia inhonoratur.

Bonitas despicitur.

Magnum nefas Deũ qui nos prior dilexit non diligere.

contempſerunt, & ſuum amorem ad mundi delectationes, & vanas creaturas quam ad te conuertere maluerunt, in quo grauiſſimum erga te contemptum commiſerunt. Tuum ſanguinem pretioſiſſimum, pro eorum reconciliatione cum tantis cruciatibus effuſum toties conculcauerunt, teque Deum, & redemptorem ſuum toties rurſum vendiderunt, illuſerunt, flagellauerunt, ſpinis coronauerunt, crucifixerunt, & occiderunt, dum poſt acceptam in baptiſmo remiſſionem peccatorum, pro quibus iſta ſuſtinueras, toties rurſus peccata cōmittere non timuerunt. Tuum zelum & ſtudium feruentiſſimum, & ſtrenuiſſimum, & conſtantiſſimum, quo eorum ſalutem ſemper procuraſti, & tot tantaq; pro ea feciſti, & pertuliſti (cui per feruentem & continuum tui honoris zelum, & implendæ tuæ voluntatis ſtudium efficax reſpondere debuerant) toties neglexerunt, & erga tuum honorem & obſequium promouendum tepidi, remiſſi, & negligentes fuerunt. Tuæ munificentiæ & liberalitati prorſus immenſæ, qua gratis & abſque vllo illorum merito, aut commodo, tot & tanta naturæ, fortunæ, & gratiæ bona illis indigniſſimis contuliſti, (cui per deuotam gratitudinem reſpondere debuerant) toties ingrati fuerunt: dona tua aut in terra, vel ſudario inutiliter abſcondentes, aut ea dilapidantes & deſtruentes aut (quod eſt ingratitudinis deteſtandæ,) iiſdem contra tuum honorem, & beneplacitum abutentes. Tuæ fidelitati, erga eos conſtantiſſimæ & certiſſimæ, qua illis ſemper, etiam quādo à te auerſi, tibique rebelles erant, fideliter aſtitiſti, & benefacere non ceſſaſti: tuaq; promiſſa ſeruaſti, per debitam fidelitatem erga te non reſponderunt.

Peccatores iterum crucifigunt Chriſtum.

Non vult impii mortē Deus, ſed preditio eius ex corde ipſius.

A Deo quem peccator offēdit omnia habet, in eo quippe viuimus mouemur, & ſumus.

Sicut semen sine humore, ita homo tẽ pore tentationis à Deo recedens.

Affinitas nostra cũ Christo.

runt, sed ad tempus in te credentes, tentationis tempore à te recesserunt, & in fide erga te pusillanimes, & dubii, atque in propositis propter te factis instabiles ac imperseuerantes fuerunt. Te omni genere affinitatis & officii sibi proximum, & cõiunctissimum omnibusq; titulis obligatoriis ab ipsis colendissimum & obseruandissimum, (vtpote Patrem suum & fratrem. Iudicem & Aduocatum. Præceptorem & Magistrum. Pastorem & Ducem. Creditorem & fideiussorem. Protectorem & medicum. Liberatorem & sponsum. Deum & beatitudinem suam) tota affectione, & sincera pietate, sicut debuerant non dilexerunt: nec obseruarunt & coluerent, sed toties erga te impii, indeuoti, imo etiam iniuriosi fuerunt. Ergo iustum est, vt te supremum, infinitum, æternum bonum, tuamq; amicitiam & gratiam æternis temporibus amittant, & à tua paterna prouidentia & cura, proiecti & repulsi deiiciantur in profundum inferni. In super quemadmodum Hugo de S. Victore, inquit. *Contra peccatorem in Iudicio cœlum dicet. Ego lucem sibi ministraui ad solatium. Aer dicet. Ego omne genus Auium sibi dedi, ad obsequium. Aqua dicet, ego diuersa genera piscium sibi dedi ad esum. Terra dicet, ego panem & vinum sibi dedi ad nutrimentum? Ignis dicet, in me comburatur. Aqua dicet in me demergatur. Terra dicet à me absorbeatur. Infernus dicet à me deglutiatur.* O deplorandam in illa hora peccatorum sortem. Omnes contra illos cõsurgent, nullus pro illis pugnabit. Omnes instigabunt, nullus defendet. Omnes accusabunt, nullus pro illis respondebit, Omnes clamabunt occide, macta, interfice. Nullus dicet indulge, expecta, faueto. Omnes vociferabuntur condemna, nullus dicet, salua. Omnes terrorem incutient, nullus conso-

Omnia elementa contra peccatorem consurgent.

consolationem afferet. Omnes minabuntur, nullus auxiliabitur. Omnes erunt inimici, nullus amicus erit. Omnes vindictam erga impios exposcent, nullus misericordiam postulabit. O peccator dum tempus habes, ne tardes conuerti ad Dominum Deum tuum? ne tempore iudicii, omnium in te experiaris indignationem, quod à vobis auertere dignetur, qui sine fine regnat, & viuit. Pater & Filius, & spiritus sanctus.

AMEN.

TERTIA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

DE PERSONA IVDICIS.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate. Luc. 23.

ANno Domini quadringentesimo, decimo Nono sub consulibus. Monaxio & Plinta, multæ Palæstinæ ciuitates, villæq; terræ motu collapsæ sunt. Dominus noster IESVS Christus semper & vbique totus, super montem Oliueti, Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestauit. Multæ & tunc vtriusque sexus, vicinarum gentium nationes, tam visu

Christus mirifice apparet in monte oliueti.

visu quam auditu perterritæ atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumq; baptizatorum in tunicis, Crux Christi Saluatoris, diuinitatis nutu extemplo pressa refulsit. Hæc Marcellinus in Chron. apud Baro. Tom. 5. Anno. 419. Cuius rei adeò admirabilis occasione cæpti sunt vbique misceri sermones de aduentu Domini ad iudicandum, quod ex Danielis Prophetæ vaticinio iam prænuntiatus esset, aduentus filii hominis in nubibus. Et Zacharias de ipso loco eius aduentus, super monte oliueti, prædixerat. Accedebat quod memoria retinerentur verba ab Angelis dicta, ab Euangelista descripta, de eodem monte vbi Christus ascendisset in cœlum. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet. O terribilem visionem quæ multas ciuitates solo æquauit, & hiatu terræ quasdam absorpsit. O seuerissimam Personam Christi, quæ in nube visa omnes vehementi concussit terrore. Quod si nondum iudicaturus adeò terribilis agnitus est, qualis obsecro erit cum viuos & mortuos iudicare aduenerit? Placet venientis in extremum illud iudicium veram effigiem in Sacra scriptura elegātissime expressam in medium afferre, modo solitum reddamus B. M. V. deuotionis nostræ officium.

Dan: 7.
Zach: 14.

AVE MARIA.

SAtis condigne debitisq; colorum speciebus Iudicis nostri personam, à S. Ioanne Diuinorum mysteriorum acutissimo speculatore, expressam & depictam Apo. 19. capite intuemur. *Vidi* inquid *cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis,*

Iudicis effigies in Sacra scriptura depicta.

fidelis, & verax: oculi autem eius sicut flamma ignis, & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei, &c. De ore eius procedebat gladius vtraq; parte acutus, vt in ipso percutiat gentes &c. O effigiem spectantium oculis horribilem. Bone IESV, ad te meam conuerto orationẽ. Quis crederet ex mansuetissimis tuis oculis, ardentissimas aliquando egressuras flammas? Quis veritati rem esse consentaneam existimaret, te, illos benignissimos oculos, quorum intuitu sicut hamo pisces, sic tu homines peccatores attrahebas, in die iudicii igne accensos aduersus peccatores deterrendos, ostensurum? Bone Domine. Ergone verum est, illos oculos propter peccatores lacrymarum vi, riuisque sanguinis, ex sacratissimo capite suffusos flammas contra peccatores ardentissimas edituros? O admirabilem mutationem: Tu Domine IESV, videns hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, vtique peccatis multis obnoxium, ad te misericorditer traxisti, traxisti quia prius vidisti. Tu idem cur non eadem oculorum benignitate consolaturus es, peccatores panem doloris manducaturos? Olim videns ciuitatem Hierusalem, fleuisti super eam, eò quod multorum malorum calamitatibus subiiciendam cognosceres. At in die Iudicii animaduertent peccatores, vallo angustiarum circumdatos, & ab hostibus suis ad internecionem prostratos, cur misericordia non moueberis? Olim iam fœtidum Lazarum è sepulchro ad vitam reuocans, largissimos ex oculis benignissimis emisisti imbres, cur in die iudicii ex oculis tuis mortuos è monumentis suscitans, non lacrymas, sed flammas emissurus legeris? Respondet iustissimus Iudex, fuisse illud tempus acce-

Apostrophe ad Iudicem.

Olim Christo benigne intuebatur peccatores, in primo aduentu in secundo nimis seuere.

In primo fleuit, videns mala peccatorum, in secundo ridebit in interitu eorum.

ptabile, & dies salutis illud verò futurum, tempus iustitiæ, diesq; perditionis. Fertur quædam auis esse, sic dicta Caladrius, cuius natura est talis, quod quando aliquis graui detinetur infirmitate, si ægritudo fuerit ad mortem, Caladrius auertit faciem suam, à sic ægrotante, & sine dubio tunc moritur homo, si autem infirmus, debet conualescere, Caladrius figit visum in ipsum, & intendit in eum quasi applaudens ei. Simili ratione Christus Dominus, volens omnium oculis notum facere, peccatores in extremo Iudicio amplius ad vitam resurgere non posse, sed morte æterna mori debere, iuxta verba Psalmistæ? *Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum,* auertet benignitatem oculorum suorum ab eis, & intuebitur eos intuitu seuerissimo, & terribilissimo. Væ in illa hora genti peccatrici. *De ore eius egrediebatur gladius acutus,* Ex verbis his in quantum mentis oculis licet perspicere. Iudicem terribili voce peccatores allocuturum colligo. Erit enim vox Domini, confringentis Cedros, & vox concutientis desertum. Sapientissimus omnium Regum Salomon, liti duarum meretricum, suo iudicio finem impositurus inquit. *Afferte mihi gladium, & diuidite infantem, viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri, & statim subiicitur. Audiuit itaque omnis Israel iudicium, quod iudicasset Rex, & timuerunt Regem.* Adueniet in iudicium verus Salomon Christus IESVS, & gladius de ore eius egredietur, erit enim eius sermo ancipiti gladio penetrabilior, transuerberans renes, & viscera sceleratorum: quo segregabit eos, qui ventri obedientes vitam brutis similem duxerunt, à parte Iustorum, & subiiciet eos potestati, & tormentis malorum dæmonum.

Narratio de Caladrio aue admirabilis.

Psal.

Gladius acutus terribilē Iudicis vocem designat

Iudicium Salomonis timorē incussit subditis.

num, & ſicut Salomon Iſraelitico populo, ſic Chriſtus Dominus vniuerſis impiorum cohortibus, cum ſuo gladio terribilis, & metuendus erit. Amos 3. *Leo rugiet quis non timebit.* Alluſiſſe videtur.) Propheta ad naturam Leonis; qui vt omnibus notum eſt, exiſtés animal ex omnibus quadrupedibus generoſiſſimum, & audaciſſimum cum fame exagitatur, altiſſimam conſcendit rupem, & prædam inde ſpeculatur. Vbi verò aliqua animalia in vnum congregata conſpexerit, terribilem edit rugitum, quo animalia percepto, ſemimortua, ac ſi ea ſpiritus deficeret in terrã prona cadunt, & ille celeri curſu aduolans, quod ſibi placuerit arripit, & in cibum conuertit. Rugiet Chriſtus Dominus in iudicio, Leo de Tribu Iuda, & animalis homo vehementiſſime pauebit. Cum Chriſtus Dominus armatam cohortem contra ſe concitatam videret dixit. *Quem quæritis!* Ipſis autem dicentibus, *IESVM Nazarenum*, continuo ipſe reſpondens. *Ego ſum*, ſe illis manifeſtauit. Audito autem verbo illo. *Ego ſum.* ſtatim retrorſum conciderunt omnes in terram, poterãtq; non immeritò vſurpare illud Iob. *Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit magnitudinem tonitrui eius intueri.* En quantam in vocis tonitruo efficaciam Chriſtus oſtendit, vt continuo inimici perterriti ſupini ceciderint. O milites Hieruſalé, vbi nam fortitudo veſtra? vbi armorum præſidium? vbi tempus quo ducebamini in IESVM? O Iuda, vbi ſunt promiſſa tua, ego vobis eum tradam: Sed quid hæc altius perpendens D. Auguſtinus dixerit audiamus. *Vbi nunc militum cohors, & miniſtri Principum, & Phariſæorum? vbi terror & munimen armorum? nempe vna vox dicentis, ego ſum, tantam turbam odiis ferocem, teliſq; terribilem, nullo telo*

Decreto Chriſti ſicut gladio infãs in iuſta à piis ſegregabuntur.

Amos 3.

Leo rugiens terret omnia animalia.

Vnico verbo Chriſtus cohortẽ proſternit.

Iob: 26.

Auguſt: tract. 112. in Ioan.

 perculſit,

percussit, repulit, strauit, &c. Ego sum inquit, & impios deiicit, quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc fecit, vocauit Dominus Adam, vbi es? Qui ait vocem tuam Domine, audiui & timui. Audient peccatores vocem Domini, & vehementissime timebunt. Cum iter faceret Saulus Damascum subito, circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi, Saule Saule quid me persequeris. Erat S. Paulus futurus vas electionis, & tamen sic voce Domini concussus in terram prosternitur: vasa perditionis ô quam horribili vocis diuinæ tonitruo concutientur? Si Saulum in excelsissimo gratiæ suæ gradu collocandum, voce in terram deiicit, ô quam in infimum damnationis barathrum, impios demersurus terribiles edet rugitus? si sic seuerus saluando, quid erit damnando? si sic durè & seuerè alloquitur operarium in suam vineam vocando, quomodo seuerus erit vineæ fures à se repellendo. O sermonem diuinum omni gladio penetrabiliorem. Dixit Hester. *Hostis & inimicus noster pessimus est iste Aman, quod ille audiens illico obstupuit, vultum Regis ac Reginæ, ferre non sustinens.* Reginæ accusantis vox, eum, cuius solium posuerat Rex super omnes Principes, quos habebat adeò terruit, vt præ timore obstupescens vix loco stare posset. O quam terribilis vox Regis Regum erit iudicantis eos, quos Pater Omnipotens damnandos, & in æternum humiliandos decreuit, Obstupuit ille ad vocem Reginæ conquerentis, cui cuncti serui Regis qui in foribus Palatii versabantur, flectebant genua, ô quomodo obstupescent impii, ad rugitum seuerissimi Iudicis, contra quorum perniciem augendam omnis consurget creatura armata. Tandem subiicitur.

Gen: 3.

Act: 9.

Terribilis Christus saluando quid erit damnãdo.

Hest. 7.

Regina Principem voce terruit multo magis Deus peccatorem suam voce terrebit.

Reginæ vox terribilis Principi.

tus. *Nec dum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius*, iussusque est suspendi in patibulo. Sic Christo Domino aduersus peccatores vociferante, & eos terribiliter alloquente, vbi primum obiurgandi eos finem fecerit, extemplo à malis dæmonibus arrepti, in profundissimam inferni abyssum immergentur. Daturus olim legem populo Israelitico Deus Omnipotens, paratos iubet esse in diem tertium, & ne appropinquent vxoribus suis, lauentq; vestimenta sua, & sanctificati adsint ad montem Sinai. Postquam vero aduenerat dies tertius, *& ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris &c, & perterriti, & pauore perculsi steterunt procul, dicentes Moysi, loquere tu nobis, & audiamus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* O rem admiratione maxima dignissimam. Legem populo suo Deus ad obseruandum exhibiturus, tam terribili apparatu audiendum se præbuit, ò quam terribilis transgressoribus legum suarum in extremo Iuditio aderit. Populo sanctificato sermo diuinus adeò intolerabilis, vt mortem afferre videretur, quid genti sceleratæ & peruersæ? Populo bene disposito, & vestimentis lotis induto dure loquitur Deus, at populo peruerso & iniquo, sordibusque peccatorum maculato, ô quam dure tonantia verborum eructabit fulmina. Væ illis, non enim aderit Moyses, pro illis loquens ad Dominum. Testatur Curtius, rerum ab Alexandro Magno gestarum scriptor celeberrimus, milites eius contra Regem rebellionem mouisse, sed eius vehementi oratione, verbisque minacibus adeò fuisse perterritos, vt cum eos manu sua apprehenderet, & quæstionibus excruci-

Exo: 19.

Vox Domini dantis legem terribilis multo magis terribilis erit iudicantis.

Curtius lib. 10. De rebus gestis Alexãdri.

excruci-

Lib: 10. *Militum rebellio atrox.* cruciandos traderet, ſtarent attoniti, nihil contra Regem auſi. Verba ſunt Authoris, Milites diſciplinæ militaris immemores, ſeditioſis vocibus caſtra complent, Regemq; ferocius, quam alias adorti, omnes ſimul miſſionem poſtulare cæperunt, deformia ora cicatricibus, caniciemq; capitum oſtentantes. Nec aut Præfectorum caſtigatione, aut verecundia Regis deterriti tumultuoſo clamore, & militari violẽtia volentem loqui inhibebant, palam profeſſi nuſquam inde niſi in Patriam veſtigium eſſe moturos. Poſthæc recitat Author eius vehementiſſimam orationem, & ſubiicit. *Magna audacia Regis.* Deſiliuit deinde Rex, frendens de Tribunali, & in medium armatorum agmen ſe immiſit, notans quoque qui ferociſſime oblocuti erant, ſingulos manu corripuit, nec auſos repugnare XIIII. *Rebelles puniuntur.* aſſeruandos cuſtodibus corporis tradidit. Quis crederet ſæuam paulò ante concionem obtorpuiſſe ſubito metu, cum ad ſupplicium videret trahi, nihil auſos grauiora quam cæteros? &c. adeòq; non ſunt accenſi ſupplicio commilitonum, cum ſub noctem interfectos eſſe cognoſſent, vt nihil omiſerint, quo ſinguli magis obedienter ac pié facerent, lugubremque totis caſtris edidere clamorem, denuntiantes protinus eſſe morituros, ſi Rex perſeueraret iraſci: hactenus Curtius. Multi profectò ſunt, qui diuinis *Peccatores Deo rebelles ſunt.* poſthabitis præceptis, contra ipſum Deum, maxima in eum ſcelera perpetrando bellum mouent, ſalutares admonitionum medicinas reſpuentes. Medicorum ſpiritualium conſilia vtilia flocci pendentes, verbi diuini præconibus oblatrantes, ſeſe Deo rebelles, & inobedientes exhibere non verentur. Sed erit tempus, cum ſupremus Iudex pro Tribunali ſederit,

rit, suasque voces aduersus eos emiserit, trepida-
bunt timore horribili: & tribulabitur ibi fortis. Di-
xit S. Petrus ad Ananiam. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri &c. Audiens verba hæc Ananias, cecidit & expirauit. Et factus est timor magnus in omnes qui audierunt &c.* Si discipuli Christi tam vehemens vox fuit, vt hominem mori compelleret, quid existimandum de voce ipsius Christi? Clamauit Ionas Propheta & dixit. *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Timuerunt omnes, & crediderunt in Deum, & Rex ipse surrexit de solio suo, & indutus est sacco, omnesq; ieiunio, & fletu, & planctu præterita diluere mala decreuerunt. Clamabit Christus Dominus, hodie non post quadraginta dies perdetur peccator, hodie iniquus maledictione induetur, hodie tradetur excruciãdus tortoribus. O quãtus terror, ô quanta trepidatio implebit corda hæc audientium. Tunc Reges & Principes omnes, optimates sicut vermiculi in cinere sedebunt. Sed video vos ardere desiderio, sciendi quonam sermone vsurus sit Iudex aduersus peccatores, & quibus verbis eos allocuturus sit. Igitur hoc ipsum me tractaturum audite. Alloquetur eos seuerissime, sua erga illos collata beneficia commemorando, eorum scelera, & ingratitudinem ostendendo, stultitiam coarguendo, & vehementer increpando. Quoties enim Deus aliquẽ propter scelera eius punire decreuerat, prius beneficia sibi per se exhibita ob oculos ei ponere solitus est, 1. Reg. 15. *Dixit Samuel ad Saul. Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israel factus es, vnxitque te Dominus in Regem super Israel &c. Quare ergo non audisti vocem Domini &* 2. Reg: ca. 12. *Dixit Nathan ad Dauid, Hæc dicit Dominus. Ego*

te vnxi

Act: 5.

Ion: 12.

te vnxi in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, & Iuda, &c. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo. Dicet Christus Dominus. O impii, & peruersi peccatores, Creaui vos ad imaginem & similitudinem nostram, certissimum per hoc amoris mei erga vos indicium, & testimonium euidens, demonstrans, siquidem magni amoris argumentum, velle amatum sibi esse similem. Minui vos paulominus ab Angelis, gloria & honore coronaui vos, & constitui vos super opera manuum mearum. Omnia subieci sub pedibus vestris, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris. Vbi igitur pro tam insigni beneficio gratitudo vestra. Quare ergo me Patrem vestrum cui feci vos, & creaui vos, contempsistis, & inimicum meum secuti estis? Arguam vos, & statuam contra faciem vestram. Vos estis filii verè prodigi, & proterui, qui mihi tanto tamque amantissimo Patri, toties inobedientes fuistis, à me vos auertistis, meque relicto in regionem longinquam profecti estis, vbi cum meretricibus propriis videlicet cõcupiscentiis & voluptatibus, totam vestram substantiam consumpsistis, Diabolo adhæsistis, porcosque pascentes misera fame attenuati estis, ad me tamen redire noluistis. O vos exules miserrimos, regni mei Proditores, & Maiestatis meæ Regiæ læsæ reos, quia à me in Reges vncti fuistis, & omnia animæ & corporis ac fortunæ bona, à me tãquam quoddam regnum regenda accepistis, sed onere certi tributi & seruitii mihi exoluendi, vos verò in mei contumeliam præsumpsistis pessimum inimicum meum Diabolum, constituere

Multa beneficia peccatoribus à Deo collata enumerantur.

Homines sunt Reges sub certo tributo Deo reddendo cõstituti.

ſtituere huius regni Dominum, & tributum ac ſeruitium, quod mihi ſummo Regi veſtro ſoluere debueratis, illi impendiſtis. Vos ſerui nequam pigri, infideles & inobedientes fuiſtis, quia mihi ſupremo & ſuperamandiſſimo Domino, & Redemptori veſtro, nunquam digne fideliter, & ex puro amore ſeruiuiſtis, ſed cum propria ſui quæſitione negligenter, ac infideliter: imò etiam voluntatem veſtram peruerſam, meæ ſanctiſſimæ prætuliſtis, & quæ mihi diſplicebat feciſtis. O vos diſcipulos indociles, rebelles, vagos, & inobedientes: quia mihi Præceptori ſuperdigniſſimo, Magiſtrorum optimo, & legiſlatori ſanctiſſimo ſemper reſtitiſtis, verbaq; mea & mandata, atq; conſilia audire & intelligere neglexiſtis: aut audita retinere, & opere complere noluiſtis. O vos oues perditas & errantes, militeſq; ignauos, profugos, & proditores: quia à me Paſtore bono & ſupremo, toties aberrauiſtis, lupiq; crudeliſſimi vocem potius quàm meam audiuiſtis, & ſecuti eſtis; quia etiam à me Imperatore ſummo & inuictiſſimo duce, meæ militiæ aſcripti fuiſtis, & donatiuum militare ad præliandum contra hoſtes meos accepiſtis, atque inſuper conſtituti fuiſtis cuſtodes veſtrorum corporum, & animarum tanquam meorum caſtrorum, non tamen ſtuduiſtis mihi militare, & hoſtibus meis ac veſtris, Diabolo, carni, & mundo, viriliter & conſtanter reſiſtere, ſed toties tamq; facile abſq; graui impugnatione illis ceſſiſtis & conſenſiſtis: imò etiam clauem Caſtri vobis commiſſi (quæ eſt cogitatio cordis & conſenſus) Diabolo hoſti peſſimo voluntarie tradidiſtis: vitioſas eius ſuggeſtiones aſcultando, eiſq; per conſenſum aut delectationem adhærendo, &

Peccatores vocantur oues errantes & diſcipuli Magiſtro inobedientes.

Corpora noſtra ſunt caſtra Dei.

Militia eſt vita hominis ſuper terram.

 ipſum

ipsum in vestrum introducendo, & me expellendo. O vos debitores, erga me plusquam decem millium talentorum, non habentes, vnde quicquam possitis mihi creditori exactissimo restituere, pro amissis gratiarum & donorum meorum talentis, à me vobis ad vsuram concessis. O vos villicos iniquitatis, & dilapidatores ac destructores bonorum meorum, qui non possitis villicationis vestræ, rationem iustam mihi reddere: præsertim cum bona mea aut in terra abscondendo, vel in sudario ligando, infructuosa detinueritis: aut etiam illis contra meum honorem, & ber eplacitum abutétes ea dilapidaueritis. O vos ægros & infirmos, multis morbis grauissimis vexatos, fortissimisq; & crudelissimis hostibus obsessos & circumdatos, qui mihi medico optimo, & protectori, ac custodi potentissimo, semper ingrati, infideles ac inobedientes fuistis, oblataq; vestræ salutis remedia, & securæ protectionis subsidia repulistis, & abiecistis. O vos adulteros, & sacrilegii horrendi reos nefandissimos, quia, cum ego Regis æterni filius, & Princeps Regum terræ, animas vestras nudas, pauperes, immundas, abiectas, & miseriis omnibus plenas tam dignanter in sponsas meas elegerim, in sanguine meo lauerim, meis virtutibus & gratiis ornauerim & ditauerim, easdemq; meæ mensæ, thalami, & regni participes fecerim: non tamen erubuistis nec timuistis, de me tanto & tali sponso prorsus nobilissimo, pulcherrimo, amãtissimo, suauissimo, optimo, & perfectissimo, derelicto & spreto, in mea præsentia, & me inspectante, toties vos sponte prostituere turpissimo, nequissimo, crudelissimo & miserrimo hosti meo Diabolo, per consensum ei adhærendo, cui

Multa debita in humeris suis portant peccatores.

Villicus iniquitatis.

Peccatores toties à Christo sanati ingrati fuerũt.

Animæ nostræ est Christi sponsa, eam Christo surripientes, & dæmoni prostituentes iure adulteri vocãtur.

cui etiam ornamenta & dona, quæ vobis ad placendum mihi dederam ſacrificaſtis, & in obſequium eius conuertiſtis. O deteſtandum prorſus & æternis pœnis puniendum facinus, & adulterium ac ſacrilegium horrendum. O vos fures & ſacrilegos, quia cum totum id, quod fuiſtis & habuiſtis, meum fuerit, mihiq; multiplici iure deberetur, vos tamen omnia illa bona contra meam voluntatem vſurpaſtis, expédiſtis, mihiq; abſtuliſtis, & prophanis vſibus applicaſtis. O vos Idololatras, quia creaturis & propriis voluntatibus, & voluptatibus potius quam mihi adhærentes, idololatriam commiſiſtis. O vos homicidas, quia animas veſtras vita gratiæ & gloriæ priuantes occidiſti. O vos ſtultiſſimos & inſipientiſſimos: quia pro viliſſima & breuiſſima delectatione, infinita & æterna bona, ſponte perdidiſtis: & æternæ damnationi vos expoſuiſtis: vitiorum ſarcinam quam deponere debueratis quotidie nouis peccatis auxiſtis: antiqua vulnera renouaſtis: nec timuiſtis me offendere & irritare, cuius miſericordia, & beneficiis indigebatis, viuebatis & ſuſtentabamini: cuius etiam ſolo nutu peteratis occidi, & corpore, & anima in gehennam mitti: meque ſpreto voluntarié adhæſiſtis peſſimo & crudeliſſimo, ſalutis veſtræ aduerſario Diabolo, quærenti vos deuorare, qui vt vos in æternam damnationem ſecum pertrahat, ſic volo & cenſeo. O exhortationem plenam horrore & terrore. O verba corda peccatorum vehementer concutientia. O ſermonem gladio acutiorem. *Cum maieſtate magna & poteſtate* Iudex noſter venturus prænuntiatur, quæ maieſtas peccatoribus maximam afferet trepidationem dicente S. Ioanne Euangeliſta. *Vidi*

Anima adhærens diabolo perdit ornaméta ſua. Qui donis Dei abutitur fur eſt.

Et qui adhæret creaturæ idololatra eſt.

Stultitia peccatorum redarguitur.

Luc: 23.

Apo: 20. *thronum magnum & candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit cœlum & terra &c. Et de throno procedebant fulgura: & voces, & tonitrua,* id est à maiestate Iudicis, terrores quidam egredientur, qui iudicandis peccatoribus, magni timoris materiam sunt præbituri, quod olim fuisse præfiguratum in Regina Hester coniicimus. *Quæ ingressa cuncta per ordinem ostia, stetit contra Regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroq; fulgẽs & pretiosis lapidibus, eratq; terribilis aspectu. Cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillam reclinauit caput &c.* Res certè stupenda Reginã viso Rege corruisse, quod si timuit Regina, quomodo à metu libera & immunis erit ancilla. Iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi erunt, videbunt omnes Dominum, & conturbabitur cor eorum, præ timore gloriæ eius. Valde enim mirabilis erit Dominus, & facies eius plena indignationis. Iudith quoq; *videns Holofernem sedentẽ in Conopeo, quod erat ex purpura & bysso, & auro, & Smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum, & cum in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram.* Non dispari ratione peccatores videntes Christum aduenientem in iudicium, cum potestate & maiestate magna, turbabuntur timore horribili, & præ angusta cordis gementes prosternentur ad terram. Non possum me continere, quin illud auribus vestris inferam, quod sibi S. Ioannes Euangelista diuinitus reuelatum fuisse testatur. Apo: 1. *In medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis vidi, vestitum podere, &c. &c. Oculi eius tanquam flamma ignis &c. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquã mortuus. Et posuit dextram suam super me dicens, noli timere.* Timuit dilectus filius, seruus maledictus, quomodo à timore

Maiestas Iudicis erit terrori peccatoribus.

Hest. 15.

Sponsa metu & multo magis ancilla.

Iudith. 10

S. Ioannes viso Domino vehemẽter expauit.

timore longé alienus erit: Ille metuit, qui in pectore Domini requieuit, quid putas quali metu concutietur, qui à Domino per vitia varia peregrinatur? Ille trepidauit, qui lateri Domini sui semper adhæsit, & ab eo in morte & in vita ne transuersum quidem vnguem discessit; ô quali trepidatione exagitabitur, qui post greges meretricum, & voluptatum sensualitates vagatur? Ille præ timore viso Domino, à quo diligebatur in terram veluti mortuus cecidit, quam ingenti pauore ille opprimetur, qui à Domino odio habetur? Ille trepidationis molestia vexatus est, super quem posuit Christus Dominus dextram suam, ô quam terribiliter exagitabitur super quem virga Domini ferrea ponetur. O miracula. O Prodigia. O terrores terribiles. Quid causæ est bone Iesv, cur aduentus tuus in mundum secundus, valde priori dissimilis prædicitur? In primo ad nos aduentu, mundi intrans ostium, ex ore tuo vocem similem nobis emisisti, participem te nostrarum calamitatum insinuãs, at in secundo tonitrua quædam & fulmina ex eodem ore emissurus es. Tu olim cum filiis hominum mundi huius vsus hospitio, nulla minarum aduersus peccatorem fulmina, sed mira dulcedine & suauitate abundantia proferebas verba. An non iucundus vocis tuæ sonus in ore peccatorum resonabat, cum diceres. Non veni iustos vocare, sed peccatores, &, Non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus, Pater ingnosce illis, quia nesciunt quid faciunt. At secundo in mundum venturus, nulla verba consolatoria, sed durissimas increpationes aduersus peccatores prolaturus es? O dissimilem & terribilem aduentum tuum, veneras olim, vt hominibus diuinæ

Dilectus filius timet quomodo maledictus non timebit?

Dissimilis Christi secundus Aduentus à Priori.

Christus manens in mundo, fuit peccatorũ patronus, & defẽsor, veniens in iudicium eorum erit seuerus Iudex.

Cur dissimilis secundus Aduentus Christi.

sapientiæ thesauros ex ore tuo depromptos exponeres, illisq; Deum Patrem placatum redderes, at secundo venturus es, vt ex ore tuo prolata illa terribili sententia impios æternæ ignorantiæ tenebris, includendos abiicias. Respondebit æquissimus Iudex, vocaui & renuistis, iustum est, vt quem benignè loquentem & humiliter ad se vocantem audire, nec ad me venire voluistis, audiatis tunc fulminantem, tonantem, vociferantem, æternisq; temporibus à mea societate & amicitia repulsam passi discedatis.

Conclusio.

Quapropter auditores, ne in secundo aduentu Iudicem agnoscatis implacabilem, in hoc primo cum dies natiuitatis eius aduenerit, currite ad Bethleem, & ibi lacrymantem animaduertentes, lacrymarum imbres effundite. Osculamini præsepe, & adorate infantem in fœno iacentem, humiliter precibus cum obsecrãtes, vt misericordiæ suæ memor culpas abluat, & gratiæ diuinæ fontem in animas suas fluere patiatur.

Currendum ad Christum dum infans est.

Eia igitur absq; mora currite ad infantem, nam à puero omnia facile obtinere poteritis, cum autem creuerit in virum, & ad iudicandum venerit, difficilem & inexorabilem agnoscetis. Nunc manus paruas ad puniendum omnino inhabiles videtis, venite & deosculamini eas, nam postea horrendum erit incidere in manus Dei iudicantis. O bone IESV, noli nos in secundo aduentu damnare, quos in primo venisti saluare. Cui laus & honor cum Deo Patre, & sancto spiritu, in sæcula sæculorum.

AMEN.

QVAR-

QVARTA ORATIO ECCLESIASTICA

De sentẽtia Iudicis, & eius executione.

Venite benedicti. &c.
Ite maledicti. &c.

REfert Holcoth, quod cum duo Milites peregrinationis gratia Ierosolimam peterent, cum in vallem Iozaphat peruenissent, eorum alter lapidem quendam tollens, dixit animi gratia socio: cum hic futurum sit vniuersale iudicium, æquum erit, vt modo locum mihi assignem, quo tunc sedens iudicio Dei adsim. Sedit ergo super lapidem illum, quasi dicẽs, hic tunc sedebo, & ex nunc possessionem capio, eleuauit tunc in cœlum oculos, quid autem viderit, vel audierit nescimus: refert tamen author hic, tali ac tanto tremore & timore, affectum fuisse illum, vt in terram tremens ac pauens, ceciderit semimortuus, tandem ad se reuersus abiit in viam suam, qui postea pauide asserebat, nunquam diem iudicii in mentem illi venisse sine ingenti pauore. O stupendum factum rarumq; miraculum. Non audiuit terribilem tubæ clangorem; nec tonitrua & fulmina sonuerunt in auribus eius: Non vidit maledictorum cohortes, gementes & flentes: non Iudicem

Exemplum satis mirabile.

Mirũ in modum timens iudiciũ Dei.

cem in äërę cunctis viſibiliter apparentem, & in veſte ſanguine aſperſa, flamam ex oculis emittentem. Non aure perceperat in impios prolatam ſententiam, ſed viſione quadam vel potius mediocri figura extremi Iudici perterritus, ſic expauit: O quam ingens pauor viſcera damnatorum cruciabit, cum hæc omnia mala ſuper eorum capita aduenerint? verumenimuerò vt aliquis ſalutaris timor mentes penetret veſtras, conciones meas de iudicio, breuiſſima ſententiæ extremæ prolatione terminabo, ſolitum à vobis expeto audiendi fauorem.

Propoſitio.

AVE MARIA.

Iudex benigne alloquitur iuſtos.

TRepidantibus & vehementer metuentibus, propter duriſſimas Iudicis increpationes, peccatoribus, conuertet ſermonem ſuum benigniſſimus Dominus IESVS, ad dilectiſſimos ſeruos ſuos, ad dextram ſuam collocatos, eoſq; ſuauiſſima oratione compellabit. O vos omnes qui ſecuti eſtis me, gaudete, quia ſedebitis manducantes panem ſuauitatis, & lætitiæ, volo enim, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. O vos pauperes ſpiritu lætamini, quoniam hodie maximis bonorum omnium facultatibus ditabimini, regnum cœlorum quippe veſtrum eſt. O vos mites, nullos vnquam tumultus aut diſcordias ſeminantes, exultate, quia hodie poſſidebitis terram promiſſionis. O vos beatos, qui lugebatis, nullam vnquam mundanæ lætitiæ dulcedinem cordi applicantes, præ nimia lætitia plaudite, quoniam hodie conſolabimini, & ſecundum multitudinem dolorum veſtrorum, lætificabunt conſolationes animas veſtras. O vos beatos

Pauperes ad diuitias vocabuntur.

Mites ad terram promiſſionis.

Triſtes ad cõſolationem.

tos qui esuriebatis & sitiebatis iustitiam, agite dies lætitiæ, quia hodie saturabimini. O vos beatos misericordes, lætos sumite spiritus, quia hodie misericordiam consequemini. O vos beatos mundo corde, & qui fuistis pacifici, & vos omnes quos persequebantur impii gaudete, quia hodie dabitur vobis merces copiosa in cœlis. Ergo venite pauperes, & possidete regnum vobis à constitutione mundi paratum. O diuitias. Venite plorantes & lacrymantes, & abstergam omnem lacrymam ab oculis vestris, & non erit amplius neq; luctus, neq; clamor, neq; æstus. O desideratissimam consolationem. Venite esurientes, & torrente voluptatis meæ potabo vos. O delicias copiosissimas. Venite operibus misericordiæ intenti, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. O mercedem plenissimam. Venite oppressi, accipite gladios ancipites in manibus vestris, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. O remunerationem excellentissimam. Venite sancti mei. In paucis vexati, in multis bene disponemini, quia tentaui vos, & inueni vos dignos me. Tanquam aurum in fornace probaui vos, & quasi holocausti hostiam accepi vos, & in tempore hoc erit respectus vestri. Fulgebitis, & tanquam scintillæ in arundineto discurretis, nunc mecum iudicate gentes, & nationes, & dominamini populis, & regnate mecum in perpetuum. Vos enim propter me ludibria, & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati estis, secti estis, tentati estis, in occisione gladii mortui estis. &c. & egentes, angustiati, afflicti fuistis, & quoniam compassi estis, iustum est, vt mecum conglorificati fœlicissimè regnetis. O præmium o-

Esurientes saturabũtur

Misericordes habebũt misericordiã

Sap: 5.

Vita Sanctorũ in mundo afflicta in iudicio glorificata.

Ad Heb 11

Venite verbum pulchre explicatur.

um optatissimum, verè copiosa apud Dominum retributio. Venite filii ad me Patrem vestrum clementissimum. Venite subditi ad me Regem vestrum liberalissimum. Venite serui mei ad me Dominum benignissimum. Venite ab exilio in Patriam, à morte in vitam, à seruitute in libertatem. Venite è terra in cœlum, è paupertate ad diuitias, è miseria ad delicias. Venite ex terra vbi hyems erat, ad terram vbi ver semper floridum manet. Venite è regno, vbi bella & seditiones vigebant, ad regnum cuius fines posui pacem: Venite è Prouincia fami, tempestatibus, pesti, & aliis malis subiecta, ad regionem, vbi nulla mors, nulli morbi, nulla calamitas dominatur. Venite ad regnum, cuius finis non erit, ad delicias sine fastidio, ad lætitiam, sine tristitia, ad abundantiam, sine defectu. Venite à metu ad securitatem, è tenebris ad lucem, è nocte ad diem. Venite ab æstu in refrigerium, à mærore in solatium, à terrenis in Palatium diuinum. Venite ad me cuius visione exultabitis, præsentia gaudebitis, benedictione regnabitis. Venite nunquam amplius morituri, nunquam gratiam meam perdituri, nunquam statum fœlicissimum mutaturi. Venite semper in gaudio victuri, nihil trepidaturi, fœlicissimè regnaturi. Venite à labore in requiem, ab æstu in temperiem, à fletu in solatium. O verbum breue, venite, sed delectabile. Vtinã Domine IESV mereamur illud audire in dextra tua collocati. Venite benedicti. Quid enim hoc verbo dulcius suauiusue? Venite, ad quid? Vt ostendam vobis omne bonum. Venite? ad quid? vt nullum amplius experiamini malum. Venite, ad quid? vt omne æternitatis capiatis donum. Venite, ad quid? ad ter-

ad terram promissionis, è terra maledictionis? Venite ad quid? ad rosas & lilia colligenda, qui tribulos & spinas in terra vestra colligebatis. Venite vbi nullum malum, sed omne bonum conspicitur. Venite in regnum, vbi non est ignis qui exurat, aër qui turbet, aqua quæ submergat, terra quæ contremiscat, Cometa qui malum prænunciet, fax cœlestis quæ oculos perstringat, tonitrua quæ exterreant; fulmina quæ prosternant, fulgura quæ consumant. Venite in regnum, in quo sanitas est sine infirmitate, satietas absq; fame, abundantia sine penuria, gloria absq; ignominia, honor sine vituperio, pax sine bello, insuper omnia bona sunt sine omni malo. Venite in regnum, vbi est lætitia sine tristitia, sanitas sine languore, salus sine dolore, iuuentus sine senectute, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Vbi pulchritudo non euanescit, sanitas non infirmatur, agilitas non pigrescit, lux non obscuratur, lætitia non minuitur. Venite in regnum, quod caret discordia, inimicitia, malitia, violentia, vbi nulla paupertas, nulla necessitas nullus dolor, sed sempiterna lætitia inhabitat. His dictis ad dilectos seruos suos: facie terribili, & oculis ignitis, ad peccatores conuersus dicet illis. Ite maledicti in ignem æternum. O sententiam terribilem, ô sententiam irreuocabilem. O sententiam peccatoribus terribilem. Ite à me Patre ad Tyrannum, à Domino ad hostem, à Conseruatore ad Perditorem. Ite à mea Prouidentia, ad Dæmonum malitiam, à mea cura ad inopiam, à mea gratia ad æternam calamitatem. Ite à cœlo in infernum, à benedictione ad maledictionem, ad abundantia ad æternam famem, Ite ampli-

Bona mundi respectu cœlestium sunt spinæ.

Gabriel Inchino in fine Concionis de regno cœlorum.

Sententia Iudicis in impios.

amplius faciem meam non visuri, misericordiam haud agnituri, lætitiam vllam nunquā habituri. Ite, ad me nunquam reuersuri, semper in igne arsuri, frustra gratiam meam expectaturi. Ite semper ploraturi. Omne malum passuri, nunquam finem malorum visuri. Ite à societate Angelorum, ad tenebrosa antra dæmonum. Ite in ignem æternum, in quo nullum refrigerium, sed ardor sempiternus, nulla lux sed horror, nulla claritas, sed tenebrosus fætor, & fætidus fumus apparebit. Ite & quantum glorificastis vos in deliciis, tantum habete luctum & tormentum. Ite cum malis dæmonibus, à quibus tormenta omnia subeatis, vermes & bufones comedatis, eorum vi & malitiæ subiaceatis. Ite & nullo vnquam tempore, auxilium, subsidium, aut leuamen agnoscetis. Vos ô dæmones, hos omnes arripite, ligate, percutite, cruciate, & quidquid vobis placuerit, in hos impios exercete. O sortem miseram damnatorum. Audita hac sententia, impii eleuabunt voces suas, sicut voces aquarum multarum, & in extrema necessitate positi, gementes & flentes, miserere nostri Iudex, clamabunt. Vtiq; creatura tua sumus, opus manuum tuarum: quos condidisti ne perdas obsecramus. Sed respondebitur, non esse tempus gratiæ nec misericordiæ, at adesse diem Domini, diem tribulationis & angustiæ: iureq; illis hoc euenisse, qui cum noluissent recipere benedictionem, nunc induant maledictionem. Et nihilominus illis lamentantibus, & dilectis olim corporibus suis, parentibus, amicis, diei & vitæ suæ maledicentibus, aderunt teterrimi Dæmones ad exequendam Iudicis sententiam. Tunc videre licebit meretricem, purpura

Qualis sit ignis infernalis.

Misera sors impiorum.

Respondebitur damnatis flentibus.

Apo: 12.

purpura & bysso indutam, lapidibusq; pretiosis redimitam, delitiisq; affluentem, prope flumina & fontes commorantem, cui Reges Principesq; terræ inseruiebant, omni suo ornatu spoliari, & nudam à dæmonibus in infernum trahi: sponsam verò agni sacco & cilicio exutam, bysso & purpura exornatam in pulcherrimam vrbem deferri. Igitur ô Auditores, per viscera misericordiæ obtestor vos, memineritis extremi Iudicii & non peccetis, nam in illa hora væ peccatoribus. Siue comeditis siue bibitis, semper sonet vox nouissimæ tubæ in auribus vestris. O quam terribilis vox illa erit, qua citabimur ad Tribunal Dei, etiam de otioso verbo rationem strictissimam reddituri. Timetis citati in conspectu Regis terreni apparere, & quodam pudore suffusi erubescitis, ô quomodo timendum vobis peccatoribus erit, cum ad Tribunal supremi iudicis vocati steteritis. Tunc enim omnis creatura contra vos armata vociferabitur. Interfice, occide, damna, percute, mortifica, & in æternum perdas gentem peccatricem. Omnes vos accusabunt, nullus se aduocatum & patronum opponet. Omnes perditionem vestram postulabunt, nullus salutem procurabit. Omnes in interitu vestro gaudebunt: nullus condolere nec compati volet. Ipsa terra quæ vos portat, cœlum quod lucem subministrat, aër qui vos reficit, aqua quæ vos refrigerat, contra vos querelas proferent. Angeli qui vos custodiunt. Sancti qui vos protegunt. Vulnera Christi quæ vos à ira Dei Patris abscondunt, damnari vos flagitabunt. Insuper respicite personam Iudicis. Nunc cum oculi eius lacrymas effundunt, currite ad eum & benignè vos intuebitur, tunc oculi eius flammam

Delicati denudabuntur audi induētur.

ignis ſpirantes vehementer vos cruciabunt. Nunc dum ex ore eius procedit mel dulce, & verba conſolationis plena, currite ad eum, nam cum fulminare cœperit, eius tonitrua ſuſtinere non poteritis. Nunc cum manus eius cruci affixas, & ad vos amplexandos extenſas cernitis, currite ad eum, tunc manus eius gladios tenentes, & vos vulnerantes videbitis. Nunc eſt peccatorem paratus recipere, tunc perdere. Nunc vult ſaluare, tunc volet damnare. Nunc viuificare, tunc mortificare, nunc ab inferis reducere, tunc ad Inferos detrudere. Quod a vobis auertere dignetur, Chriſtus IESVS regnans cum Patre & ſancto ſpiritu. AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica II. Aduentus.

Qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Matth: 11.

Summa Cōcionis.

NOn conuenire homini Chriſtiano mollibus veſtiri, & pretioſa veſte indui, pulcherrimis rationibus & ad legendum iucundiſſimis oſtenditur.

CVm Elizabet Regis Hungariæ filia, & Lātgrauii Thuringiæ vxor, die quodam ſolenni, pretioſis ornata veſtibus, aureamq; capite geſtans

ſtans coronam, ac familia frequenti ſtipata, de more Chriſtiano, rem diuinam aditura eſſet, primo ſtatim contuitu crux Dominica, atque ex ea pendens imago Saluatoris, eam penitiſſimè compunxit, compunctæ lacrymas excuſſit, & lacrymanti huiuſmodi cogitationes ingeſſit. En creator & redemptor meus nudo corpore, mea cauſa ignominioſiſſimam in cruce oppetit mortem: ego verò miſera, gemmis auro, byſſo, & purpura contectas vitam cœleſtibus indignam beneficiis, perdo magis quam ago. Illud caput intra Pilati ædes ſpinea corona depunxit, Iudæorum vallarunt opprobria, me numeroſa circumdatã familia, aurea corona redimitam, cuncti mirantur, ſuſpiciunt, honorant. Me miſeram, me infælicem, ſic illius obedio præceptis, beneficia reuoluo, veſtigia ſequor, qui me cum non eſſem creauit, perditamq; ſuo ſanguine redemit. Tam intenſæ autem hæ cogitationes fuerunt, vt deſtituto viribus corpuſculo, ac facie tota in pallorem verſa repente regia mulier humi velut exanimis prolaberetur, omnibus qui eam ſtipabant, vehementi pauore perculſis, elatamq; foras tantiſper ſacris vndis, aſpergere perſeueratibus, dum ſtupore ceſſate cõpos mẽtis redderetur. Id ex ſincero cordis affectu, vt in vobis mea efficiat oratio deſidero, vt videlicet perceptis euidentiſſimis rationum argumentis alienum eſſe, à Profeſſione Chriſtiana, luxu veſtium gloriari, abiiciatis omnem mundum muliebrem, & induatis nuditatem Chriſti. Fauorem ad audiendum me, ſolitum, à vobis expoſtulo.

In eius vita apud Surium tom. 6. c. 7.

Paſsionis Dominicæ memoria domitrix vanitatis.

AVE

AVE MARIA.

Anima dignior corpore.

PRima ratio euidentissime demonstrans hominem Christianum, iure merito debere, à luxu vestium abstinere hæc est. Homo Christianus maiorem diligentiam, studium, & curam ad ornandam animam, quam corpus conferre tenetur, & ratio in promptu est, quod enim dignius, illud maiori honore, reuerentia, & apparatu excipiendum, at anima dignior est corpore, quippe ad Dei imaginem facta est, caro verò ad similitudinem bestiæ, ergo &c: Sed qui multus diligensq; in ornanda carne est, parcus & negligens, in procurando animæ ornatu sit, necesse est: duobus enim Dominis inuicem sibi aduersantibus, nemo vnquam seruire potest, sed vnum diligit, & alterum odio habet. Caro nostra concupiscit aduersus spiritum spiritus autem aduersus carnem hæc enim inuicem sibi aduersantur, ergo qui ornat corpus deturpat animã, & eam odio persequitur. Chryso. in Gen. *Hoc studium in ornando corpore internam indicat deformitatem, & huius deliciæ illius manifestam faciunt famem; & huius vestium sumptus, illius indicat nuditatem.* Isidorus dicit de Scitali serpente, qui tanta præfulget dorsi varietate, vt in sui admirationem inducat intuentes, & quanto magis est discolor tantò in veneno deterior, sic quantò magis Christianus ornatior, tantò in veneno peccati mortalis pestilentior. Ait quidã. Quando pannus sericus ponitur super feretrum, signum est cadaueris mortui, & quod ibi iacet mortuus, sic in corpore ornato, signum est quod ibi sit anima mortua. *Ecce coopertus est auro & argento, & spiritus non est in visceribus*

Nemo duobus Dominis potest seruire.

Hom. 37.

Simile.

Abac. 2.

ribus

ribus eius. Erat aliquando magnus quidam & illuſtris Rex, qui in aureo curru, ſatellitum manu regia maieſtate digna, cinctus iter faceret: contigit, vt duos viros laceris, & ſordidis veſtibus, atq; ore macie confecto, ac maiorem in modum pallido, obuios haberet Regi porro exploratum erat, eos corporis afflictatione, ac vitæ Deo conſecratæ laboribus carnes ſuas ita confeciſſe. Vt igitur eos vidit, é curru ſtatim deſiliens, atque humi proſtratus eos adorauit, ac deinde ſurgens amiciſſime complexus eſt, & ſalutauit. Proceres autem ipſius ac Præfecti hoc moleſte tulerunt, eum facinus regis gloria indignum admiſiſſe exiſtimantes. Verum cum coram ipſum reprehendere, minime auderent: cum germano ipſius fratre agebant: vt Regem admoneret, ne diadematis amplitudinem, & ſublimitatem, ad hunc modum contumelia ac dedecore afficeret. Cum itaque ipſe hæc fratri dixiſſet, atque intempeſtiuam, & præpoſteram ipſius humilitatem accuſaſſet, reſponſum ipſi Rex dedit, quod á fratre minimé intellectum eſt. Mos enim Regi erat, cum aliquem morte mulctaret, prǽconem cum tuba, qui quidem mortis idcirco dicebatur, ad ipſius fores mitteret, atque ex tubæ illius clangore, omnes ei moriendum eſſe intelligebát. Itaq; cum adueſperaſceret, lætalem tubam ad fratris ſui fores clangorem edituram Rex miſit. Vt igitur ille hanc tubam audiuit, deſperata ſalute per totam noctem domeſticis rebus conſuluit. Mane autem atra ac lugubri veſte indutus, cum vxore ac liberis ad palatii fores flens ac lamentans profectus eſt. Cum autem Rex ipſum ad ſe admiſiſſet, atque ita eiulantem vidiſſet, his verbis vſus eſt. O ſtulte ac demens, ſi fra-

S. Ioan. Dama. in vita SS. Barlaã, & Iozaphat cap. 6.

Regis in pauperculos & mundo deſpectos honor

Mortis tuba.

Frater fratrem tentat.

si fratris tui, cum quo idem tibi genus, & par honor est, in quem nullius omnino sceleris tibi conscius es, præconem ita extimuisti: quonam modo mihi reprehensionis notam idcirco inussisti, quia Dei mei præcones, qui mortem, ac Domini, in quem me multa & grauia scelera perpetrasse scio, pertimescendum aduentum, mihi quauis tuba vocalius altiusq; denuntiant, humiliter ac demisse salutaui? En igitur, vt tuam dementiam coarguerem, hac ratioue vsus sum: quemadmodum etiam eos, qui tibi vt me reprehenderes in animum induxerunt, statim stolidos & amentes esse demonstrabo. Atque ita curatum & humiliter instructum fratrem suum domum remisit. Iussit autem è ligno quatuor arcas effici, quarum cum duas vndiq; auro contexisset, fœtidaq; cadauerum ossa in eas iniecisset, aureis seris eas obfirmauit: reliquis autem duabus, pice ac bitumine oblitis, pretiosisq; lapidibus, & exquisitis vnionibus, omniq; vnguentaria fragrantia impletis, asperisq; funibus constrictis, Proceres eos, à quibus ob virorum illorum occursum reprehensus fuerat, ad se acciuit, ipsisque quatuor has arcas proposuit, vti quanti hæ quantiq; illæ pretii essent, æstimarent. Illi autem duas eas quæ inauratæ erant maximi pretii esse asserebant, neque enim aliter fieri posse inquiebant, quin in ipsis regiæ coronæ ac monilia recondita essent. Eas contra quæ pice ac bitumine oblitæ erant, viles omnino ac nullius pretii esse aiebant. Rex autem ipsis dixit. Nec me quidem fugiebat vos hoc dicturos esse. Nam sensibilibus oculis ea quæ in sensum cadunt perspicitis, atqui non ita faciendum est: verum interioribus oculis, siue pretium siue vtilitatem & fœditatem, quæ intus

Sapiens admonitio & correptio.

Stultus ab externa facie indicat.

intus condita sunt spectare oportet. Ac protinus inauratas arcas aperiri iussit. Quibus patefactis grauis quidam ac teter odor exhalauit: atque iniucundissimum spectaculum oculis obiectum est. *Altera ratio talis est.* Ea conditione, homines ad fruendum huius lucis vsura nascuntur, vt otio nuntium remittentes manus assiduis applicent laboribus, idque testimoniis Sacræ scripturæ in promtu esse docetur. Gen: 3. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*, & Iob. 5. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum*, & 2. Timot. 2. *Labora sicut bonus miles Christi.* Igitur contemptui habendus & risu explodendus est ille, qui ad laborem missus, induit se pretiosis vestimentis, & manus labori admouendas manicis auro intextis contegit. Talis absq; dubio nullam à Patrefamilias obtinebit mercedem, & illud vulgo vsurpatum prouerbium sibi dictum audiet, qui pulchrè vestitus dabat operam cantilenis in æstate cum cicadis, hyemis tempore choreis ducendis occupetur. Imò ipsa experientia quotidiana discimus, omnes artifices dum labori incumbunt, vestes suas præcipuas de corpore deponere, & sic ablato vestimentorum impedimento strenue laborare. O quam igitur inconueniens est Christianum hominem mollibus & pretiosis vestibus indui. *Tertia ratio hæc est.* Ad bellum cum hostibus fortiter gerendum si quis tenetur, arma ferrea, aliaq; bellica instrumenta, si boni militis cognomen obtinere desiderat, procurare debet, & qui hoc modo militiæ dat operam, laude omnium dignus censetur: qui verò sacramento militiæ obstrictus, & ad pugnam quauis hora obligatus existens, si se, in aciem progressurus, mollibus & pretiosis vestibus non ferreis armis induat, an nõ

Et sepulchra exterius sũt dealbata intus plena vermibus.

Inconueniẽs est ad laborãdum mollibus indui.

Vestes ad laborandum deponendæ.

omnium risu exploditur? Neminem fugit vitam hominis, nihil aliud esse nisi bellum assiduum, sancto Iob dicente. *Militia est vita hominis super terram.* Ergo sicut ille qui cum hoste pugnaturus armat se sericis vestimentis vnguentorum fragrantias spirantibus, ab omnibus irridetur. Pari ratione Christiani assiduis bellis gerẽdis à Deo obligati, cum mollibus induuntur, & non potius duris ieiuniis, sordidisq; ciliciis armãtur omnium explosione digni sunt. Propterea o Christiani, accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. O quam igitur inconueniens est, hominem Christianum mollibus indui, & pretiosis indumentis vestiri. *Quarta ratio hæc est.* Non est seruus supra Dominum, nec discipulus supra magistrum. S. Cyprianus de habit. Virg. Si non est maior Domino seruus, & liberatori debet obsequium liberatus, qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus fecit, & docuit imitari. Scriptum est enim, & legitur, & auditur, & in exẽplum nostræ Ecclesiæ ore celebratur. Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare. Ambulandum est vestigiis paribus æmula ingressione nitendum est Luc. 2. Dixit Angelus Pastoribus. *Hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* En ornatum & apparatum Christi pannos & præsepium. Quis igitur non concludet eum, qui luxu vestium delectatur facere contra exemplum Christi? *Quinta ratio hæc est.* Homo sapiens debet illud euitare quod suam repræsentat ignonimiam, nam stultus iudicaretur, qui funem in quo ad supplicium ducebatur, portaret, & gemmis ornare curaret, & qui notam qua in foro insignitus

fuit,

Iob. 7.

Militibus arma non mollia vestimenta conueniunt.

Quarta ratio hæc est.

S. Cyprianus de habitu virginũ.

Quinta ratio hæc est.

fuit omnibus ostenderet. Vestitus est signum, & monumentum inobedientiæ, & præuaricationis nostræ in Adamo, nullus ergo iure gloriari potest in vestitu, sicut nullus certè fur gloriatur, de stigmate ob furtum fronti inusto. *Sexta ratio hæc est.* Si aliquis pulcherrimis vestibus ornatus, peteret subleuamen à prætereuntibus, quæro ego haberet ne petitio eius locum apud transeuntes? impetraretne aliquid? consequerentur ne suæ preces effectum? Minimè verò. Imò durum responsum acciperet, omniumq; in hunc modum obiurgatione reprehenderetur. Diuitiis flores, ornatuq; splendido fulges, discede hinc, nihil lucraberis, nam nobis insultare videris: sed cum aliquis miseria oppressus desiderat aliquid accipere, sumit vestem laceratam, & membra liuida tabeque infecta denudat, in terram se prosternit, & sic multam eleemosynam obtinet. Nemo est in mundo tam fælix, qui non egeat diuina gratia, & auxilio, & requie æterna, qui igitur petitum hæc beneficia venit, pulchre ornatus, auro & gemmis conspicuus, despicitur tanquam superbus, & audit contra se prolatam sententiam. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam. Septima ratio est hæc.* Mirabile esset, si mulier veniret ad missam in morte mariti sui vel patris, ornata floribus, sic existimandum de illis, qui ad audiendam Missam veniunt, insigni ornatu splédidi, cum Missa quælibet fiat in commemorationem Christi crucifixi. O demens mulier moritur tibi vir, portare eius corpus curas ad templum, quomodo audiens Missam repræsentantem mortem Christi, audes lætus in vestibus splendidis apparere. *Octaua ratio hæc est.* An non ille maximo ludibrio dignus habetur, qui hostē suum

Vestitus ignominiæ nota.

Omnes indigemus gratia Dei.

ſuum capitalem vitæ ſuæ inſidiantem fouet, nutrit, delicatis induit veſtibus, exornat monilibus, exquiſitis reficit ciborum generibus? Caro noſtra hoſtis eſt animæ. 1. Pet. 2. *Chariſsimi obſecro vos tanquam aduenas, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* Igitur qui carnem ſuam ornãt, hoſtẽ nutriunt, ſuntq; extremæ dementiæ participes iudicandi. *Nona ratio hæc eſt.* Qui ſtercus inuoluit, nonne contra rationem facit. Quid aliud eſt corpus noſtrum, niſi ſaccus ſtercorum, cloaca ſordium, cibus vermium, niſi ſtagnum infra ſupraq; fœtores exhalans? Quare Andreas S. Bernardi frater, cum aliquando amborum ſoror exquiſito culta ornatu ad fores monaſterii Clarauallenſis venire auſa fuiſſet, eam ſtercus inuolutum appellauit, quo conuitio illa perculſa, tandem & cultui, & mundo ſanctimonialis facta renuntiauit. *Decima ratio hæc eſt.* Non conuenit Chriſtianos illud peccatum committere, quod homines Ethnici ſolo lumine rationis illuſtrati, ſummo odio perſecuti ſunt. Atqui multos viros errorum caligine obuolutos, quamuis ſplendore generis, & facultatibus diuitiarum clariſſimi haberentur, luxum veſtium ſicut peſtem abominatos fuiſſe, legimus, multo magis Chriſtianis, in id incumbendum eſt, ne hanc peſtem animæ ſuæ illabi patiantur. Epaminondam Thebanum, tot victoriis clarum Imperatorem, legimus adeò exactæ fuiſſe continentiæ, vt vnica veſte contentus fuerit, & ſi quando vetuſtate detritam reſarcire opus foret, domi clauſum ſe teneret: & quod mirandum, eo redactum inopiæ, vt Thebani publica impenſa, & ære collato eum extulerint. Cyrus quoque Perſarum Rex, cui cum quidam ad eum miſiſſet, orna-

Athenæ 1. Front. 4.

ornamenta multa, eaque amicis distribuisset, quærentique ab eo cur nihil sibi reliquisset. *Quoniam inquit corpus meum his ornari non potest. superest vt amicis largiar, quibus sic ornatis, maximum mihi ipsum ornamentum esse putabo.* Dionysius adeo vsque exosam habuit in vestitu luxuriam, vt furciferis ignosceret, si pretiosarum vestium fures essent: quo facilius Syracusani ab huiusmodi luxu abstinerent. Romanos rerum dominos adeamus, atque in his magnum illum potentissimumq; Monarcham Augustum, de quo sic Trãquillus Suetonius. *Instrumenti eius & suppellectilis parsimonia apparet etiam nunc* (tempore Hadriani Cæsaris, cuius Magister Epistolarum fuit Suetonius,) *residuis lectis atque mensis, quorum pleraq; vix priuatæ elegantiæ sint. Non thoro quidem cubuisse aiunt, nisi humili & modice instrato; veste non temere alia quam domestica vsus est, ab vxore, & filia, neptibusq; confecta.* Nec dissimilis moderatio in C. Caligula, qui eodem tegmine, & vestitu, quo cæteri induebatur, idque ad concilianda vulgi studia, ait Tacitus. Sic Germanicus Imperator sine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu. Vespasianum etiam constat, veste & habitu neglecto fuisse, & vix à gregario milite differente. Compar istis septimus Seuerus, quem scribunt vili amiculo, & exigua veste adopertum, & à vulgari nihil differentem. Nescio an restrictior Aurelianus qui non modo vestem holosericam in vestiario non habuit, sed nec alteri vtendam dedit. Quidni etiam celebrem Alexandrum Seuerum, quem quoq; scimus vestes holosericas nunquam induisse, subsericam nunquam donasse. Immo gemmarum quod fuit vendidisse, aurum autem in ærarium contulisse, dicẽtẽ gemmas, viris vsui non esse, matronas autem regi-

Lib. 2. Cyr.

Plutarchus.

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

Lib. 1. Annalium. Idem 2. An.

Sueton.

regias contentas esse debere vno reticulo, atque in auribus & baccato monili, & vnico pallio auro sparso, & cyclade, quæ sex vnciis auri plus non haberet. Carolus Quintus Imperator vestium incuriosus admodum fuit: adeo vt non temere aliter visus sit, quã in amiculo laneo, plebeoq;, vt scriptum reliquit Guil. Zenocatus cõsiliorum illius administer. Secundum hunc, alterius Caroli Alberti Neapolitanorum Regis Patris, modestia valde eminuit. Namque hactenus restricta, & subducta virili tunica vtebatur vt haud ferme tegenda contegeret, eoque spectantibus risum tolleret, cum alioquin à virtutibus esset admirandus. Deniq; Ludouicus XI. Galliæ. Matthias Pannoniæ, & Alphonsus Neapol. & Siciliæ Reges, nihilo fuere à vulgo elegantiores. Itaq; hic quondam reprehensus, quod parum regaliter incederet respondit, *Malle se moribus, & auctoritate Regem videri, quam diademate & purpura.* Magnifica profecto, & idonea tali Rege sententia. Colligitur ex his exemplis in medium allatis, esse inconueniens hominem Christianum pretiosis indui vestimentis. Ait Vrias ad Dauid Regem. *Arca Dei & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent, &*
2. Reg. 11. cap. *ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea. Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Si aliquando suggestio dæmonis vobis persuadere studuerit, vt corpora vestra pretiosis induatis vestibus, huius exempli memores, conuersisq; oculis ad Christum Dominum, in cruce nudum pendentem, in has prorumpite voces, Domini mei IESV Christi, caput spinis compunctum video, & ego qui vermis sum, caput meum corona gemmis, & auro ful-

Conclusio.

ro fulgente ornare tentabo ? &c. Dominus meus totus nudus, & à planta pedis, vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas, sed omnia membra liuore, & sanguine contecta aspicio, ego qui seruus sum, quomodo corpus meum splendido contegam apparatu ? Domini mei manus & pedes clauis transfixos intueor. Ego nudus, cæcus & pauper, quomodo manus meas monilibus, pedesque pretiosis calceamentis induere curabo ? Quod vt faciatis, gratia eius, qui in cruce nudus mori voluit, vobis auxilietur.
Fiat, fiat.
AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Matth. 11.

Difficile esse mollibus vestitum, & pretiosa veste indutum, intrare in domum Dei, pulcherrimis conceptibus demonstratur. *Summa Concionis.*

FVit mulier nobilissima Maria, Campaniæ Comitissa, hæc nupta nobilissimo Henrico Campaniæ Comiti, filia fuit Ludouici pii Regis Francorum

Thomas Cantipratanus li. 1. Apiarii cap. 7.

corum: Hæc multis annis mortuo marito cum pompoſiſſima ambitione circuiens, & moriens talem finem ſortita eſt. Laborans hæc in extremis. Abbatem Perſaniæ ſanctiſſimum ac eloquentiſſimum virum, mi gratura venire mandauit. Qui vt venit intromiſſus non eſt, & præ foribus expectauit. Iam enim Comitiſſa deceſſerat, & diſtrahebantur à militihus & miniſtris, & ſuis omnibus vtenſilia, vaſa aurea & argentea, veſtes pretioſæ, culcitræq; purpureæ, & tādem linteamina ipſa cum peplis. Extremo quidam ex garſionibus mora nimia retardatus, lectum per cornua comprehendit, & reſupinatum corpus emortuum, eminus in ſtramenta deuoluit. Moras autem Abbate cum tædio ſuſtinente, quidam nobilis ex circumſtantibus indignatus oſtium violenter infregit, & virum venerabilem intromiſit. Qui cum introiſſet, & nobile ilud corpus in ſtramine reperiſſet, Abbas exempli prouidus non ſinebat, ſed libera voce clamabat. O vos omnes, venite, cernite pompam nobiliſſimæ Comitiſſæ Mariæ. Videte illud delicatiſſimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum eſt: videte quid ei pro multiplici honore & gloria, mundus finaliter exſoluit. Ecce quam ſtulta illi mundus computatione concluſit. O terribile exemplum, cunctis qui veſtitu molli & pompa mundi gloriantur, tremendum metuendumq;. Cæterum, vt aliquo ſalutari timore ob veſtium luxuriam, corda veſtra compungantur, decreui apud animum meum, in hac concione oſtendere, neminem quem luxus veſtium delectat, in domum Dei admittendum.

AVE MARIA.

PRima ratio, manifestans aditum in domum Dei, præclusum esse vestes pretiosas diligentibus, hęc est. Qui in regionem longinquam suscipit peregrinationem, non ignarus eundum sibi perdensissimas nemorum syluas, per altissima montium cacumina, & per ea loca quæ latrociniis infestissima esse proclamātur, talis nullos vestium pretiosarum apparatus, non torques aureos, non monialia pretiosis lapidibus gemmisq; vermiculata secum defert: sed aggresti indutus tunica, si quid pro rebus ad victum, & amictum necessariis habet, illud totum occultissime abscondit, & summam inseipso præsefert paupertatem. Qui enim in illa loca auro fulgens ingrederetur, absque dubio pateret insidiis hostium, essetque præda latronum, qui ducti auaritia & cupiditate, eius pretiosarum vestium, & monilium, haud sibi temperarent, quin illi necem inferrent, & sic ille ad terminum susceptæ peregrinationis nequaquam perueniret. Omnes Christiani peregrinorum gaudent conditione, nec diuersa sors eorum esse à peregrinantibus, Sancti Pauli doctrina cōprobatur. 2. Cor. 5. *Scientes quoniam dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino, scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non factam, sed æternam in cælis*, ecce quo peregrinamur. In via autę huius peregrinationis sunt asperæ syluæ tribulationum, per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Sunt altissimi virtutum montes, quos per gradus perfectionis ascendere, &

Nemo peregrinus induit vestimenta pretiosa.

in suprema sanctitatis sede, animas nostras collocare tenemur, si peregrinationis nostræ optatum terminum assequi voluerimus, sunt præterea multi hostes, animabus nostris technas, & insidias struentes, videlicet teterrimi dæmones, concupiscentiæ, voluptates, elationes, aliaque omnia vitiorum genera. Qui igitur veste contempta indutus, accingit se huic peregrinationi, facile ab hostibus contemnitur, qui verò mollibus & pretiosis vestimentis splendens viam huius peregrinationis ingreditur, subito ab hostibus inuaditur, & facile prostratus fines peregrinationis non intuebitur. Aduolat superbia, & vt se homo cæteris præferat suggerit, cui cum homo cōsensum præbuerit, (quod facile euenit) vulnus lethale in anima accipit. Aduolat inanis gloria, & vt homo omni prædicatione adsidera vsque extolli cupiat, persuadet, hoc vbi homo acceptauerit, anima eius manifesto mortis periculo subiicitur. Aduolat voluptas, & vt homo mollitie illarum vestium delectetur, admonet, ille vbi acquieuerit hosti manus ligandas, animamq; gladio mortis æternæ interficiendam tradit. Rectè S. Gregorius. hom. 32. in Euāg. *Nihil maligni spiritus in hoc mundo possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur &c. Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat ne succumbat.* O verba in marmore sculpēda. *Altera ratio hæc est.* Dictum est à Domino IESV, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vidit olim S. Ioannes Apostolus, cœlestem Ierusalem muris altissimis, centum scilicet, & quadraginta quatuor cubitorum altitudinē habentibus, ad quid quæso, muri in cœlesti Ierusalem. In terris quidem

Latrones in via peregrinationis humanæ.

Hom. 32.

quidem ciuitates nostræ muris egent, quia sunt plures & infestissimi hostes, qui nos impugnant, vt ab iis tueamur muris indigemus, at cœlum quod à nullo potest hostium expugnari quid muris opus habet? Insinuatur hac visione, cœlum non posse nisi vi obtineri, vt quando aliquis ciuitatem expugnare vult, non otiatur, non conuiuia celebrat, sed indutus armis ferreis, omni vi ciuitatem capere nititur, instat, tormenta explodit, arietes admouet, & muros quatit, hostes perimit, per scalas ascendit, omni ope potiri ciuitate nititur: simili ratione qui desiderat cœlestem regionem obtinere, necesse est, vt otiositati vale dicto in obsidionem eius toto incumbat pectore, instet, ciuitatem circumeat, hostes trucidet, victoriam assequi omni cura & diligentia studeat. Sed quemadmodum ille difficile caperet mœnia ciuitatis, qui mollibus indutus vestimentis, serico & auro, gemmisque splendens eam expugnaret, imò facile lapide, pice, igni, ferro, aut ligno aliquo è mænibus detrusus occumberet; ita existimandum est, & de illis, qui cum cœlestem Ierusalem habere desiderent, molliter vestiti ad eam expugnandam progrediuntur. Vidit idem Apostolus turbam illam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis stantes ante Deum, habentes in manibus palmas, & amictos stolis albis, & interrogauit Ioannem quidam ex habitatoribus cœli: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & vnde venerunt.* Se id ignorare confessus fuit S. Ioannes, tunc ille. *Hi* (inquit) *sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas, in sanguine agni*, id est, quibus armis sancti Dei cœlestem Ierusalem expugnarunt,

Vi regnum cœleste & diligenti labore acquirendum.

Cap. 7.

 non

Quibus armis Sancti Dei cœleste regnum occuparunt docetur.

non deliciis, non voluptatibus, non diuitiis, non splendido ornatu, non pretiosis vestibus, non auro neque argento, sed felle tribulationum pro nomine Dei amaro, quas longè abesse ab his qui mollibus vestiuntur liquide constat, tum quia in domibus Regum sunt, inhærentes acquirendis bonis regalibus, parum de gloria Dei promouenda solliciti, tum quia tribulatio, non sinit hominem molliter vestiri, sed potius puluere asperso, capite lugubri, vestimento induit hominem vehementer afflictum. Nunc igitur manum in sinum proprium mitte, & attende quosnam labores, cruces, & pœnitentias amplecteris, vt ad cœlestem peruenias gloriam? quænam ieiunia? quas nam vigilias? quæ flagra? quas lacrymas fundis? quod si molliter vestitus, solas delicias quæris, non cœlum, sed gehennam petis. *Tertia ratio hæc est.* Legitur 2. Tim. 2. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Hoc asseruit Apostolus, pro his qui cupiunt saluari, hi enim non coronabuntur, nisi legitimè certauerint, Metaphora sumpta ex his, qui olim in agone certabant, qui si vincebant coronabantur, aliter verò nequaquam, sic Christianus nisi carnem vicerit, eam spiritui subiiciendo, & mundum eius occasiones vitando, & dæmonem eius tentationibus resistendo, non coronabitur in cœlo. Victoria autem potiri nequaquam poterit, nisi armis bello spirituali idoneis abundauerit, qualia sunt, contra carnem ieiunia, cilicia, corporis assidua maceratio, vigiliæ, flagellationes &c. Contra tumentem mundum, profunda animi submissio, exterior & interior humilitas, vestes abiectæ, & vetustate detritæ, ædificia exigua, nulla amplitudine decorata, familia non numerosa

merosa. contra dæmonem feruens in Deum charitas, maxima pietas, ignita deuotio, summum odium peccati. At qui mollibus vestitur, hosti suo contrarius non esse conuincitur, imo carni adulatur, hostem fouet, nutrit inimicum, & quem vincere, & in seruitutem redigere tenetur, superari se ab eo patitur, hic mundo gestit placere, dæmonibus applaudere, hominibus magnus apparere, & ideo male certat, neque coronabitur. Tertullianus ait, fuisse quosdā milites Romanos soli dicatos, qui cum professionem suam emitterent, coronam interposito gladio sibi oblatam recipiebant, quo significare illi volebant, coronam suam non nisi cuspide & acumine gladii, consequi posse. Gloria cœlestis ab Apostolo Paulo corona vocatur, & hæc quidem non mollibus vestimentis, sed gladio est acquirenda, vnde de se ait. *Bonum certamen certaui cursum consumaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in die illa iustus iudex.* Apud eosdem Romanos consuetudo erat, vt Imperator daret coronam auream illi, qui primus ciuitatis expugnatæ mænia ascenderet, qui miles tali se subiiciens periculo, non veste molli, sed ferro duro armatus sine dubio mænia ascendere nitebatur. *Quarta ratio hæc est.* Ait Christus Dominus. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et in alio loco legitur. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, tibi o Christiane per delicias, voluptates, mollemq; ornatum, quomodo aperta ianua in gloriam alienam patebit cum Christo Domino, in gloriæ suæ possessionem aditus, non aliter nisi per solam crucem pateret? Si filius dilectus in quo bene Deo complacuit, proprium patrimonium labore, cruce,

Bene & molliter vestitus male certat.

Libro de corona militis cap. 12.

Filius Dei cruce cœlum acquisiuit ergo & Christianus hoc modo illud acquirere tenetur.

cruce, passione, in super morte crudelissima sibi comparauit, tu qui es seruus inutilis, quomodo splendidè epulans, & bysso, & purpura indutus credis te deportandum in sinum Abrahæ? Nemo cœlestis gloriæ obtinebit facultates, nisi qui cruce, tribulationibus variisq; infortuniis circumdatus illuc progredi curauerit. Atqui pulchre ornatus incedit, non crucem Christi, sed retia Diaboli portat, talisque è loco in quo steterit in cœlum pedem mouere non poterit. Rediens Heraclius, Ierosolimam, solemni celebritate suis humeris crucem Domini referre, in eum mōtem apud animum suum decreuerat, quo eam Saluator tulerat. Sed vt erat auro & gemmis ornatus, insistere coactus est in porta, quæ ad Caluariæ montem ducebat. Quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur. Cumq; ea re & ipse Heraclius, & reliqui omnes obstupescerent: Zacharias Ierosolymorum Antistes. Vide inquit Imperator, ne isto triumphali ornatu, in cruce ferenda parum IESV Christi paupertatem, & humilitatem imitere. Tum Heraclius abiecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem Caluariæ loco crucem statuit, vnde fuerat à Persis asportata. O quam congruum atque egregie accommodatum rei nostræ exemplum. Nequaquam dilecti in Christo Auditores, in montem Regni cœlestis peruenire poteritis, si in corporibus vestris mundum muliebrem eumq; splendidum gestaueritis, hoc abiecto viam in cœlum facilem, nec aliqua ex parte asperam inuenietis. Fuisse hunc morem quibusdam memini me legisse auditores nobilissimi, vt cum milites suos ab bella fortiter

Pium & sanctum opus Cæsaris in ferenda cruce Domini.

Consuetudo milites in bella expediē di certe pulcherrima.

ter gerenda expedirent, scuta illis alba, splendidaq; tribuerent, inculcantes, eos suæ fortitudinis certissimum ad se allaturos argumentum, si quæ scuta alba acciperent, sanguine hostium conspersa, & gladiis hinc inde confossa, domum reuertentes sibi præsentarent. Simili modo, nos cum sacro baptismatis fonte abluimur, à Deo, scuto albo mundissimæ innocentiæ muniti, animaque, ab omni labe peccati purgata. Sanctiq; Spiritus donis splendescente, in aciem cum hoste fortiter dimicaturi mittimur, tunc nostræ fortitudinis magnum specimen edituri, si morientes corpus & animam, variis tribulationum molestiis, difficultatum angustiis: variisq; afflictionum speciebus vulneratam, oppressam, excruciatam, non verò pulchre indutam Deo nostro, è mundo discedemus. præsentaturi. *Quinta ratio hæc est.* Luce meridiana clarius esse, neminem qui carnalibus obedit desideriis, in cœlum vnquam admittendum, nullus est quem fugiat Auditores quod euidentissimis è fontibus Sacræ scripturæ depromptis rationibus comprobatur. 1. Cor. 15. *Caro & sanguis, regnum Dei non possidebunt*, & Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, si secundum carnem vixeritis moriemini, si autem spiritu, carnis facta mortificaueritis viuetis.* At qui splendido induuntur vestimentorum apparatu, carnem summo persequuntur amore, & eius perficiunt desideria, nam signum amoris est amatum ornare, si enim odis, cur amas? si non libenter carnem demulces, cur mollibus ornas? ergo &c. *Sexta ratio hæc est.* Homicida quilibet non habet vitam æternam in se, & qui tali pollutus est scelere, diuino iure à Sanctorum æterno consortio semper excluditur. At pulchre vestitus multa-

Consuetudo milites in bella expediendi certe pulcherrima

Cum baptisamur in bellũ mittimur.

rum animarum (quod maius homicidium quam corporum est,) sæpe crudelis interfector euadit, quomodo igitur (testor fidem vestram) tam immani infectus scelere cœlum conscensurus credetur? Attendite quid Sanctus Cyprianus dicat. *Si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, vt & si ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium & venenum, videntibus te præbeas, excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica.* An non homicida quem luxus delectat vestium? Non sic acutus vulnerat gladius, sicut vulnerat splendide ornatus &c. *Septima & vltima ratio hæc est. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis*, id est illi soli serui mei, qui scientes voluntatem Patris mei faciunt eam, audient meam pro seipsis hanc ad Deum Patrem supplicationem. *Volo Pater, vbi ego sum, illic sit & minister meus.* Sed quali differentia dignoscuntur, ab aliis serui Christi? eadem qua solent dignosci serui Principum. Videlicet vestitu, vt vulgo Poloni nostri loquuntur, **po bárwie.** Nam quidam Princeps, dat vestes coloris rubei, quidam violacei, quidam holosericas, quidam auro & argento splendescentes, &c. Christus verò quali vestitu suos induit famulos? eodem quo & ipse vsus est, nam *qui se dicit in Christo manere, debet ita sicut ipse ambulauit, ambulare.* Vultis autem scire, qualia fuere Christi Domini vestimenta? Paupertas, nuditas, fames, dolor, & labor ipso Domino, de se dicente. *Ego sum pauper & dolens, & in laboribus à iuuentute mea.* Qui igitur splendet vestitu, & non potius languet dolore & labore, non est seruus Christi, & consequenter si-

Cypria. de habitu Virginum.

Serui Principum dignoscuntur vestitu.

Qualia sunt vestimenta Christi.

ter ſi in ſuo ſtatu perſeuerauerit, ſciat ſe nequaquam regnum cœlorum acquiſiturum. Recte S. Hieronymus in vita S Pauli Primi Eremitæ. *Vos in tunicis aurum texitis, ille Paulus ne vilissimum quidem veſtimentum habuit mancipii veſtri, ſed è contrario illi quidem pauperculo paradiſus patet; vos auratos gehenna ſuſcipiet. Ille veſtem Chriſti nudus licet, tamen ſeruauit, vos veſtiti ſericis indumentum Chriſti perdidiſtis:* Sed iam tempus eſt, vt oratio noſtra, ad portum dirigat curſum ſuum Memineritis ò Auditores, quanta damna afferat veſtimentorum luxus, (eheu) noſtra ætate ab omnibus vtriſq; manibus & pedibus amplexus. Veſtitus ſplendidus animam deturpat, conſcientiam vulnerat, regni cœleſtis beatitudinem è manibus hominum eripit. Veſtitus ſplendidus, nos peregrinationi deditos tradit in manus hoſtium, iter ad cœlum præcludit, & ne victoriam de hoſtibus noſtris conſequamur, vehementer impedit. Præſtat ergo, vt nudi nudum ſequamur Chriſtum, vt poſtea in regno eius recipiamus, veſtimenta claritatis, & æternitatis, quam vt modo molliter induti, poſtea denudati, in tenebras inferi proiiciamur. Quod à nobis auertat. Qui ſine fine viuit, & regnat. *Concluſio.*

AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica III. Aduentus.

Tu quis es? quid dicis de te ipso? Ioan. I.

Summa Concionis.

SVnt multi homines, qui nesciunt quid sint, nec seipsos cognoscunt, quæsitique quid sint, aliter respondent, quam se res habeat. Imo multi sapientes in sui cognitione turpiter errant, existimant enim se aliquid esse cum nihil sint, aut quid aliud esse præter id quod sunt, & his omnibus speculum quoddã perlucidum proponitur.

Basiliscus quomodo speculis interficiatur.

COmmemoratu dignum refertur, quod ad vitri speculorumq; encomium pertinet, non modicum, eius vi venenosissimum animal, Basiliscum perimi. Sicut enim pestilens illud animal, visu hominem necat, ita se sua quoq; vi imprudens perimit, suorum ex oculis manantium radiorum reflexu: hac enim industria vtuntur, qui Basiliscum velint perimere, sine sui periculo: se se totos vndique speculis contegunt, atque propius ad bestiam accedunt, quæ cum seipsam introspiciat, reflexa radiorum venenatorum vi in seipsã mox perimitur. Ignorantia suipsius in homine, est perniciosior Basilisco, ille enim corpus, hæc animam interimit, quæ vt cõmoriatur in vobis, inspiciatis speculum naturæ vestræ cognitionem repræsentans, & hoc summopere cu-

re curetis, vt poſſitis noſſe quid ſitis. Ego aliqua ex parte, hoc vobis ſpeculum intuendum proponam, quod introſpicientes formas veſtras, & imagines perbellé intueri poteritis. Et ſicut ſpeculum vim habet, ad præſentandas rerum variarum formas, ſic concio mea conceptibus variis, multorum effigiem quam ipſi ignorant, eis ad oculum repræſentabit.

AVE MARIA.

QVare ex Catholico operibus fidem negante, & vitiis variis ſeruiente, *Tu qui es, & quid dicis de te?* Nonne reſpondebit? Sum Catholicus, verus Eccleſiæ Romanæ filius, Chriſti famulus, homo fidelis, futurus cohæres Chriſti. En quomodo oculos habet, & non videt, nec cognoſcit ſeipſum, alium ſe exiſtimat, & in re ipſa alius eſt. Nam ſi es ô peruerſe Chriſtiane ſeruus Chriſti, cur non facis voluntatem eius? cur præceptis repugnas diuinis? quare ad nutum eius non vis præſto adeſſe? Serui officium hoc eſt, vt ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi eius ad Dominum Deum ſuum, ſeruorum Dei, illud certiſſimum indicium eſt, ſi eos Dominus cum pulſauerit ianuam, inuenerit vigilantes. O quoties Deus pulſat cor tuum? quoties ad meliorem vitæ frugem reducere te ſatagit? quoties te vt viam mandatorum eius curras admonet? aperis ne pulſanti? Minimé, quomodo ergo te ſeruum Dei appellare non erubeſcis? Si te ſeruum Dei, & Deum Omnipotentem Dominum tuum vocas, ſi ille Dominus, vbi eſt honor eius? ſi tu ſeruus, vbi fidelitas ſerui erga Dominum. Quid ad hæc loquens! Muta fiant labia doloſa.

Chriſtianus peccatis inuolutus non ſe cognoſcit.

Peccator nō eſt ſeruus Dei.

losa. Et quoniam ignoras quis sis, ego dicam tibi. Non es tu seruus Christi, sed seruus diaboli, & man-
1. Ioan. 3. cipium eius? *Qui peccatum facit ex diabolo est*, & 2. Petr. 2. *A quo quis superatus est, eius & seruus est.* Mat. 21. duo illa iumenta ad quæ soluenda, & ad se adducenda, Dominus duos discipulos misit peccatores significabant, nec immerito. *Homo enim cum in honore esset peccando compa-*
Psal. 48. *ratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Iumenta enim, ea, quæ sensibus delectabilia sunt quærunt, peccatores vero quid aliud quærunt? *Ite* ergo Christus ait discipulis, *in castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatam,* Talis est anima in peccato, alligata inquam est, & capta vinculis stoliditatis, & affectionum suarum. Quid ni captiuum dixeris auarum? qui non quæ decent, sed quæ in lucrum pecuniarum fuerint, per fas vel nefas exquirit, diu noctuq; auaritiæ deseruiens, & quo duxerit cupiditas vadens, licet ad inferna ducat. Vnde Dauid viros diuitia-
Psal. 75. rum vocat, *dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum &c.* non diuitias virorum, sed viros diuitiarum dixit. Sic de mancipiis loqui solemus, hic seruus illius Domini est, ille vero illius, sic virum diuitiarum Propheta auarum dicit. Item Apost. 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, in laqueum (inquit) ergo ligantur, ergo captiuantur. Conspexit aliquando S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, puerum auicula in via ludentem, quæ auis pedem filo annexum habens, sæpe cum laxius ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens, auolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam, vsque ad se deiiciebat, & hoc ingens gaudium illi erat. Factum est id frequentius. Quod pater a-

spiciens

ſpiciens miſeræ condoluit aui, ac vt rupto filo libertati redderetur, optauit. Et ecce filum rumpitur, auis auolat, puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis conſideraſtis (inquit) iocum pueri? & confeſſis conſideraſſe, ait, ſimili conſideratione iocatur diabolus cum multis hominibus, quos ſuis laqueis irretitos, pro ſua voluntate in diuerſa vitia pertrahit, ſunt enim quidam, vt verbi gratia dicam, aut auaritiæ, aut luxuriæ, & ſimilium flammis ſuccenſi, & ex magna conſuetudine illis addicti. His contingit aliquando vt ſua facta conſiderent, defleant, ſeque à modo, à talibus ceſſaturos ſibi promittant. Et more auis ſe volare liberos autumnāt, ſed frequētius ſicut auis capta filo, ſic illi funibus peccatorum circumplexi in ſeruitute detinētur. Ergo cum ſeruus ſis peccati, & mācipium Diaboli, fruſtra te ſeruum Chriſti Domini appellas. Adhæc dicis te eſſe Catholicum? Sed reuera videris eſſe hæreticus, & manifeſtè cōtra fidē peccando militās, hæreticus enim eſt, qui quoſdā fidei articulos cum pertinacia negat, at tu ipſum Deum negas, id S. Paulo affirmante, ergo te Catholicum iniuſte nominas, ad Tim. 1. *Confitētur ſe noſſe Deū factis autē negant, cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus reprobri.* Pulchre quidā, manifeſtè cōſtat peccatum adeo animā deprauare, vt fidei receptionē impediat, & receptā ſæpe eam perdat, requirit enim fides piam affectionē in voluntate, quā peccatum ſæpe tollit. Sanctus Chryſoſtomus hom. 7. in Ioan. Refert Paulum Samoſatenſem, amore cuiuſdam fœminæ captum à fide noſtra apoſtataſſe, quod permultis hæreticis poſtea euenit, qui ob carnis indulgentiam, & vt deliciis liberius vacarent, à fide Chriſtiana, quæ illos ab

In eius vita apud Suriū 21. April. lib. 2.

Multi Catholici peccantes facti ſunt hæretici.

illis cohibeat, recesserunt. Insuper Christiane sordibus peccatorum deturpate, dicis te esse filium Ecclesiæ Catholicæ, & ego dico te esse ethnicum & publicanum. Mat. 18. *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ecclesia præcipit, vt diebus festis Sacro Sancto officio Missæ deuotus & attentus adsis, aliisq; piis, & ad Dei honorem spectantibus actionibus occuperis, tu verò venationibus. deambulationibus, commessationibus, choreis, conuiuiis, aleis, hisque similibus vitiis incumbis: & idcirco, quoniam iugum ecclesiæ excutis, illiusq; præceptis rebellis, & inobediens existis, ethnicum & Publicanum, non verò filium Ecclesiæ te esse est necesse. Adhæc duobus Dominis nemo seruire potest, tu cum sis seruus Diaboli quomodo potes esse seruus Christi? *Adamauit Rex Salomon mulieres &c. Vt sequeretur deos alienos*, quid inde? *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo*, id est implicatus cultui idolorum. Dei seruus esse desiit. *Præcepit Rex Balthasar iam temulentus, vt afferentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo &c. bibebant vinum, & laudabant Deos suos, aureos, & argenteos ferreos. &c.* Tenebat in manibus vasa, Deo consecrata, & cultum diuinum falsis diis deferebat, & ecce qui fuit exaltatus sicut Cedrus libani, interfectus est, nec inuentus est amplius locus eius, & Medus successit in regnum. Multi sunt è numero Catholicorum: qui videntur in manibus suis aliquid de diuinis rebus tenere. In conuiuiis enim suis verba aurea, quæ in Ecclesia à Prædicatoribus diuinorum eloquiorum audierunt, cum quadam pia affectione referunt, & quam ædificatoriè concio fuerit prolata, profundos ducentes gemitus inter se celebrant,

Mali Christiani, sunt ethnici & publicani.

3. Reg. cap. 11.

Dan. 5.

Multi Catholici sunt idolatræ.

lebrant, vt sic fideles serui Dei appareant, sed reuera laudant Deos alienos, cum vasa aurea & argentea, plena vino exhauriunt, adhærentes lateri suo meretrices deosculantur, seque eo quod abundent auro & argento, nummis aureis & argenteis, prædiis, &c. studio iactant inani. Ducunt in bonis dies suos, & gaudent ad sonitum organi, futuros se nihilominus regni cœlestis incolas confidentes, sed inueniuntur minus valere, & in puncto ad infernum descendunt. Omnes igitur Christiani, ventri obedientes, & vitam sicut pecora traducentes, seipsos non cognoscunt, & alios se, quam sunt nominare non erubescunt, sed introspiciant hoc à me illis prolatum speculum, & facile quid sint, & quo nomine appellandi, intelligere poterunt. *Quære ex diuite. Tu quis es, & quid dicis de te ipso?* Respondebit plenis buccis sum alter Cræsus, homo fælix & beatus. induor purpura & bysso, & epulor quotidie splendidè, non me fames torquet, non frigus vrget, non calor vrit, non paupertas molestat, habet anima mea in multos annos multa bona. Filiæ meæ compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi. Oues meæ fætosæ, & abundantes in egressibus suis, boues meæ crassæ, non est clamor in domo mea, neque ruina maceriæ. At falluntur miseri, dicunt quia sumus diuites, & nullius egemus, illi autem sunt nudi, cæci, pauperes, & inopes, dicunt diuitias esse bona sua, ò crassam ignorantiam. Nunquid non omnia Dominus illis dedit, & idem omnia auferre potest: id affirmante S. Iob. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* Ne igitur tam turpiter errent, speculum quod illis nunc proferam introspiciant & videbunt se sicut nudi egressi *Iob. cap. 1.*

gressi sunt de vtero matris suæ, ita nudos reuersuros, nec quidquam de labore suo sumpturos; quoniam verò iactant se ventis sua vela dare secundis, in hoc speculo maximis turbationum procellis nauē suam hinc inde iactari intuebuntur. Quò ad primum manifestè Sacra clamat scriptura, bona omnia mundi ex manu Dei pendere, nec hominum, sed hæc omnia Dei propria esse, Psal. 19. *Si esurio non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius, quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum. iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est*, & Ag. 2. *Meum est argentum, meum est aurum, dicit Dominus exercituum*, & Psal. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitāt in ea.* Certe Tertulianus in libro de patientia. *Quod nostrum inquit videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoq; nos.* Et S. Basilius Oratione in verba illa. *Destruam horrea mea, sic scribit. Tu nonne spoliator es qui quæ dispensanda accepisti propria reputas? est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conseruas: discalceati calceus qui apud te marcescit*, & S. Ambrosius. *Sed ais quod iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruem. O impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti.* Idcirco concluditur etiam ditissimum quemq; esse pauperem, & egenum, licet enim multa bona habeat, abundetq; immensis opibus, tamen illa omnia sunt dona Dei, non hominum propria bona. Intuemini ergo mentis oculis, ô diuites speculum hoc, & videte paupertatem, & nuditatem vestram, & cum aliquis ex vobis interrogatus fuerit, quis es? & quid dicis de te? Responde nulla interposita mora sic. Ego sum pauper & mendicus, nudus natus, nudus moriturus. Quod verò longè sit à vobis, omnis fœlici-

Docetur dictis Sanctorū Doctorum nihil diuibus esse quod propriū vocare possint.

fœlicitatis beatitudo, ſed potius diuexet vos variarum tribulationum amaritudo, duabus ſimilitudinibus, quibus diuitiæ veſtræ comparantur vos docebo. Inprimis diuitiæ huius mundi, aſſimilantur montibus hyperboreis, hi montes ſunt in Scythia multum locupletes, auro abundantes, & gemmis. In eis enim ſunt Smaragdi optimi, & cryſtalli puriſſimi &c. Sed circa illos montes, vbi tales diuitiæ ſunt, videntur aſperrimæ ſyluæ, per quas ad dictas diuitias difficilis eſt acceſſus. In quo intelligitur, quod licet diuitiæ ſint ad appetendum & ad poſſidendum, & ideo homines, vt eas lucrentur, & tueantur, maximos labores aſſumunt. Eccl. 31. *Laborauit diues in congregatione ſubſtantiæ*, quam ne amittat aut diminuat, ô bone Deus, quot opprimitur turbationibus. Meritò Dominus apud B. Matthæum, (inquit idem author) diuitias appellat ſpinas, ſunt enim ſpinæ ſub flore ſe carpentium pungitiuæ, & ſimiliter diuitiæ in flore mundanæ gloriæ, ſe aſſequentes pungunt, punctione laboris in acquirendo; timoris in poſſidendo, doloris in amittendo iuxta illud B. Bernardi in ſermone de cõuerſatione ad Clericos. *Diuitiarum amor longe amplius deſiderio torquet animam, quam refrigerat vſu, vt pote quarum acquiſitio quidem laboris, poſſeſſio vero timoris, amiſsio plena doloris inuenitur. Secundò*, quia ſpinæ ſunt veſtium laceratiuæ, ſic diuitiæ lacerant interiores veſtes virtutum, vnde Greg. hom. 20. ſuper illud, *exiit qui ſeminat* inquit. *Diuitiæ ſpinæ ſunt: quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem humanam lacerant, & cum vſq; ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Tertio.* quia ſunt ſerpentum occultatiuæ, propter quod Eccleſ. 10. dicit. *Qui diſsipat ſepem mordebit eum coluber*, ſcilicet qui latitat inter ſpinas. Sic diuitiæ

Magiſter Ioannis de S. Geminiano, de exemplis & ſimilitudinibus rerum.

Diuitiæ recte vocantur ſpinæ quæ pungunt corda humana.

uitiæ latibulum sunt serpentium infernalium, 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: & in desideria multa, & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum.* *Quarto*, quia spinæ sunt ignis succensiuæ, diuitiæ enim sunt materia ignis, cupiditatis in præsenti, & ignis infernalis in futuro. Isai. 33. *Spinæ congregatæ igni comburentur.* *Quinto*, quia spinæ sunt seminum suffocatiuæ, nam propter suam densitatem radios solis intercipiunt, & confluas cœli guttas ad ea, quæ sub eis sunt descendere non permittunt, & ideo quæ iuxta spinas vel infra seminantur, non de facili conualescunt, Vnde Luc. 7. dicitur. *Aliud semen cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.* Similiter diuitiæ suffocant sua sollicitudine fructum seminis verbum Dei, & ideo dicitur ibidem. *Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt. & à sollicitudinibus, diuitiis, & voluptatibus vitæ suffocantur, & non referunt fructum.* Igitur sicut spina & dolorem creat, cum infigitur, & cum infixa manet, & cum extrahitur, sic diuitiæ magno labore acquiruntur, maiore timore conseruantur, & maximo dolore amittuntur, & quoniam multis & grauibus curis multæ opes mentem pungant, & discrucient, ideo diuites nunquam fœlices & beatos, sed potius terque quaterq; miseros appellabo. Narrat Plinius

Plin. lib. 8. cap. 96. Simiarum solertiam ipsis perniciosam esse, viscoq; inungi, laqueisque calceari imitatione venantium, *Solinus. cap. 29.* sed hoc apertius explicat Solinus in verbis. *In Lybia Ægypto ac Æthiopia, plebs simiarum in iis est, quas passim videmus non sine ingenio æmulandi, quo facilius in manus veniunt: nam dum auide venantium gestus affectant, relicta consulto visci vnguilla, quod mendacio factum vident, oculos suos obliniunt, ita visu obducto pronum, est eas corripi.* Simili ratione cum homines

cor

cor suum apponunt diuitiis, & eis colligendis, & cōseruandis attentum applicant animum, aduolat venator ille, de quo S. Petrus ait, qui circuit quærens quem deuoret, & terrenorum bonorum facultatibus impeditos facile in suam trahit seruitutem. Hoc ergo speculum introspicite diuites, & discite vos esse infelices multisque calamitatibus subiectos. *Quære ex homine scientiis perdiscendis dedito. Tu quis es? & quid dicis de te?* Statim ille cum summa ostentatione respondebit. Sum Philosophus, sum Theologus, sum homo scientificus. Cui ego. Recte vir doctissime ait S. Bernardus. *Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt.* Frustra vt video extenderis in alia te neglecto. Quid tibi prodest si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens: si sapiens sis deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris sapiens, noueris licet mysteria omnia, noueris lata terræ & profunda maris, si te nescieris eris similis ædificanti, sine fundamento ruinam, non structuram faciens. Video te nescire quid sis? Visne scire quali definitione Sacræ literæ humanam sapientiam circumscribant? Iacob. 3. *Quis est sapiens. & disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conuersatione, operationem suam, in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis. & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem, non est enim ista sapientia desursum descendens à patre luminum, sed terrena. animalis, diabolica,* & Rom. 8. *Sapientia carnis mors est,* & Isaiæ 33. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi inquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Vno verbo dicis te esse Domine Philosophe rerum variarum cognitione conspicuum, non te bene cognouisti, si enim te recte cognouisses, sine dubio cum

Similis recte cōparantur homines diuites.

Vers. Bas. in Exam. hom 10.

Ber. lib. 2. de Consid.

Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.

Cor. 1.

 Aposto-

Apostolo dixisses. Nihil me inter vos scire arbitratus sum, præter IESVM, eumq; crucifixum, ego verò respondeo, te esse stultum, quippe sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, quod ita esse vnicum probabit exemplum, 2. Reg. ca. 6. *Consilium autem Architophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Architophel. &c.* sed ex fructibus eius cognoscetis sapientiam mundi, 17. ca. 2. Reg. *Porro Achitophel, videns quod non fuisset factum, consilium suum, strauit asinum suum, surrexitq́, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua suspendio interiit.* An non sapientia mundi stultitia apud Deum, suspendio vitam sibi adimere? O dementiam extremam, sibi ipsi inferre violentas manus? Ergo quid vobis prodest, qui vtriusque iuris volumina euoluitis, liberales & ingenuas artes assequimini, historiarum ac fabularum recordamini, quæq; in diuersis locis gerantur, mente, & cogitatione perquirere enitimini, nihil non scientes, vos ipsos nescitis, instar oculorum, qui cum omnia videant seipsos non vident. *Quære ex homine in supremo dignitatis gradu collocato. Tu quis es? & quid dicis de te ipso?* Respondebit tibi. Sum supra cæteros gubernator, & Rector, Princeps, Rex, Imperator, sed & hoc vanitas & afflictio spiritus, taliumq; conditio, vilior & perniciosior est, quam illorum quos nullus dignitatis decorat splendor. Qui enim habet officium, habet simul & negotium, nullaq; dignitas sine onere, & grauamine. Et sicut ille qui cursu contendit ad metam sine vllo onere, & pondere, citius ad terminum assignatum peruenit; quã ille qui multis onustus sarcinis cursui se comittit. Qui dignitate præfulget onus graue in humeris portat, qui ab ea lõge abest, nullo de-

In dignitate collocati nõ cognoscunt se.

lo desuper pondere grauatur, vterque autem ad accipiendum in terris brauium currunt, ambo quidem in via currunt, sed qui pondere non deprimitur citius terminum aggreditur. Recte Magister Ioan. de S. Gemiano inquit. Dignitatis status quanto altior, tanto aduersitatibus, & molestiis plenior. Vnde in dignitatibus positi, assimilantur arbori. Flagella enim (vt dicit Isidorus) dicuntur arborum summitates: eo quod sæpe ventis, & turbinibus flagellantur. Sunt autem quasi summitates arborum, altitudines dignitatum: in quibus qui sublimati sunt, multarum aduersitatum ventis, frequentium anxietatum turbinibus flagellantur. Et ideo non incongrue de statu dignitatis posset suggeri illud prouerbium, 2. Mach. 3. *Si quem habes hostem &c. mitte illuc, & recipies flagellatum.* Tullius. Quo celsior es eo magis te sollicitum, & anxium esse oportet. Vnde Psal. 15. *Ab altitudine diei timebo*, id est ab altitudine temporalis dignitatis. Item ad dignitatis gradum ambitiosus homo, quandoq; paulatim exaltatur: sed subito deiicitur, sicut arbor cum difficultate eleuatur, sed subito vi ventorum deiicitur. Res patebit exemplis. Ac inprimis numerandus est Belisarius, ad quantum autem dignitatis, & gloriæ culmen euectus fuerit testantur historiæ. Vicit Persas, Vandalorum regnum in Africa trium mensium spatio, Rege eorum Guilimero capto, & in triumpho ducto euertit. Gothicum omne nomé in Italia contudit, & Romam contra Vitigem eorum Regem tutatus est: quem postea Rauennæ obsessum cum vrbe cepit, & Constantinopolim in triumphum duxit; quod bellum varia fortuna annis 18. gestum est. Hic in toto mundo celebris euasit, & in tanto pretio fuit apud Iustinia-

Arbori altissimæ comparantur homines in dignitate collocati

Simon Maiolus de fortunæ ludibriis.

Iustinianum Imperatorem, vt is percusso nummo, in altera parte se, in altera Belisarium armatum effinxerit, cum hac inscriptione Belisarius Romanorum decus, hunc tamen Belisarium tam magnanimum, tam fortissimum Ducem, ita euertit fortuna, vt eum in senecta omni honore, gloria, & dignitate exuerit visu, opibus, & fortunis omnibus priuauerit, atque in Diuæ Zophiæ templo, Constantinopoli stipem emendicare coegerit. Sed & Mauricius Imperator, qui cæteroquin pius, exilii tamen sui ipsius sibi fabricator fuit. Namque 14. Imperii anno. Diacono teste, in eam ex humana imbecillitate lapsus est auaritiam, vt cum infinitam captiuorum hominum multitudinem Chaganus Auarum Hunnorum Rex, virum quénque duobus aureis nummis Mauritio redimendum proponeret, multa millia hominum, potius ense crudeliter necari à tyranno, quam aliquam iacturam pecuniæ, eorum redemptione fieri pateretur. Hinc & Dei iram, & grauissima hominum subditorum odia incurrit. Phocaque Imperatore designato, cum tota familia securi percussus fuit. Erat Paulinus apud Theodosium Imperatorem authoritatis non paruæ, familiarisimeq; ob rem literariam ab Eudocia Augusta excipiebatur. Hic igitur ob pomum, quod dono dedit Eudociæ vxori, illa vero aduenienti Paulino donauit. Ipse autem vt se in Imperatoris gratiam magis insinuaret, incautus ac rerum nescius donauit Imperatori, præseferenti gratum animum. At quid de pomo actum esset Imperator, vxorem rogat, quæ illud se comedisse mentita est, proferens autem illud Imperator, mendacii & perfidiæ eam quidem coarguit. Paulinum autem iussit occidi. Recte admodum Poeta

Belisarius clarus Imperator in senectute oculis erutis mendicare cogitur.

Poeta. Et subito casu quæ valuere ruunt. Cognoscite in hoc speculo sortem vestram, ô homines in sublimitate dignitatum gloriantes. *Quære ex sene, Tu quis es? & quid dicis de te?* Respondebit ille, sum homo plenus dierum antiquorum, vir magnæ experientiæ, consilio in rebus dando satis maturo præditus, & hic non se cognoscit, nam si sciret quis sit, diceret, sum homo morti proximus, & iam in finibus vitæ meæ constitutus, diem mortis cum tædio expecto. Immo si aliquando mentionem mortis eius feceris, subito senex ira aduersus te inflammatus, in durissima prorumpit verba. O perniciosissimam in senibus ignorantiam sui. Præclare Hugo de claustro animæ. *Inter abusiones huius sæculi, sola maior senis obstinatio, qui morti proximus mortis non abhorret aduentum, qui quasi ad ostium huius mundi positus foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futura considerat. Audit nuncios mortis, & credere non vult eis. Tres sunt enim nuntii mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nuntiat. Casus nuntiat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem.* Alphora est vermis, qui postea in piscem transit, rursum si tabe aliqua cõsumatur, extra aquam se recipit, & etiam defluxa omni carne vsque ad caput ipsum, si in aquam remittatur, corpus quod fuerat absumptum, carne rursum vestitur velut renatum, immo viuacius est, nam accedit illi longæuitas cum antea breuissimæ esset vitæ. Euenit & hoc aliquando homini seni, qui cum in grauem morbum inciderit timet sibi, & iam se mortem oppetiturum existimat, recipit se extra aquam, id est, de vita hac terrestri, (quæ in Sacra scriptura aquæ comparatur, si quidem omnes dilabimur, sicut aquæ super terram) parum solicitus esse videtur,

Senes de morte nolunt cogitationes admittere.

quod si iterum pristinæ sanitati restitutus fuerit, veluti renouata iuuentute immemor lethi vitam in voluptatibus traducit. Insuper Christus Dominus, in iudicio extremo, seuerissimum & quasi ferreum contra hos omnes examen instituet, & inprimis peccatori dicet Deus. *Tu quis es? & quid dicis de te ipso?* Si dixerit, Domine sum Catholicus, nulla vnquam hæresi, nec aliqua peruersa secta infect⁹ & seductus, cui subiunget Dominus, ô infælix homo. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum &c. Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Dicet diuitibus. O vos pessimos villicos iniquitatis, & dilapidatores bonorum meorum vobis ad dispensandum concreditorum? Cur in abusus diuitias vobis à me exhibitas conuertistis, & quasi bona propria, & non aliena dilexistis. Fui nudus, & non me vestiuistis. &c. Dicet doctoribus, posui vos pascere populum meum, & dedi vobis donum intellectus, & donum scientiæ, vos verò aliis prædicantes, ipsi soli improbi effecti estis, & sicut sal infatuatum ad nihil valet, nisi vt proiiciatur, & ab hominibus conculcetur, ita & vos iustum est, vt sicut fatui clausam ad regnum cœlorum ianuam inueniatis, & apud omnes in contemptu sitis. Sed & vos potentes, potenter tormenta sustinete, similiter & qui consenuistis in iniquitate vestra, subeatis æternæ mortis sententiam. Æquum ergo est, & summopere necessarium, omnibus seipsos cognoscere, nam cognitio sui omnium virtutum fundamentum humilitatis mater, nutrix pietatis, auctrix sanctitatis. Vtinam diuina ope hāc scientiā assequi possitis.

AMEN.

Conclusio.

Psal. 49.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

Tu quis es? & quid dicis de teipso?
Ioan. 1.

ILLe qui neſcit quis & vnde ſit, multa incurrit mala. *Summa Concionis.*

ECclypſis ſolis inducit terræ motum. Eſt enim eclypſis ſolis cauſa, & ſignum terræ motus: eo quod in terra ad quam conuertitur vmbra eclypſis, intenditur frigiditas poros terræ conſtringens, reflectens vaporem in ſeipſum. Et verius ſignum in cauda quam in capite draconis: & tanto verius, quanto maior fuerit, & vbi ſpiſſior fuerit vmbra. Similiter quanto maior & craſſior eſt error, & ignorantia mentem obſcurans: tanto magis mouetur anima ad peccandum, maxime cum eſt error in fine, qui enim ignorat quam fœtida caro ſit futura, turpiter errat, ex eius pulchritudine delectabilem captans voluptatem, ſed tamen omnis eclypſis rationis maxime vero ignorantia ſui ipſius, eſt cauſa multorum malorum, nam ſicut terræ motu propter eclypſim ſolis, (vt tempore mortis Chriſti acciditſe legimus) ædificia dilabuntur, arbores eradicantur, virgulta diſiiciuntur, ſic motus carnis humanæ propter ignorantiam ſui ipſius exortus, omnes virtutes, *Terræ motus malorum multorum ſolet eſſe cauſa*

tutes, omniaq; sancti spiritus dona, é cordibus hominum, eiicit & expellit, multorumq; malorum causa existit, quod ex hac concione peroptime intelligere licebit.

AVE MARIA.

EST salutaris consuetudo apud homines, vt cum rumor volat, ciuitates aliquas peste infectas esse, & idcirco multos homines in illis ciuitatibus quotidie é viuis discedere, ex templo in Primaria ciuitate, custodes ad portas adhibentur, vt ne si aditus omnibus liber pateret, tentaret quispiam pestilentia affectus intra vrbis mœnia ingredi, & cæteros mala peste infectos reddere. Qui igitur ad portam venit, á custodibus interrogatur, quis sit, & quibus ab oris veniat, si se id ignorare dixerit, vel aliter quam se res habeat narrauerit, arcetur ab ingressu ciuitatis, & aliquando condigna pœna castigatus dimittitur. Postquam primum generis humani parentem pestis peccati infecit, statim é cœlo voluptatis in vallem lacrymarum expulsus est, & ne locum illum peste abominanda, iterum inficere præsumeret, custodia ad portam paradisi subito adhibita est, quippe Dominus *collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeū gladium, atq; versatilem, ad custodiendam vitam ligni vitæ*, De regno quoque cœlorum dicitur Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem, & mendacium.* Qui igitur orando ianuam regni cœlestis pulsat, adest custos, & quis sit, vel quid velit interrogat, si ille dixerit. *Ego sum homo, natus de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miseriis*, ego sum, *quasi flos qui egreditur & conteritur*, ego sum, *tanquam fœnum quod velociter arescit.* Ego sum

Homo vbi primum peccauit nos peste infecit.

Gen. 3.

Iob. vt Psal. 36. Ose. 6. Sap. 5.

ſum *quaſi ros mane pertranſiens.* Ego ſum *quaſi ſpuma quæ à procella diſpergitur.* Ego ſtipula ſicca, ego folium quod vento rapitur, ego ſum ſicut puluis ante faciem terræ, talis ſine dubio apertam cœli ianuam ingreditur, quippe *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit &c. & non diſcedet donec altiſsimus aſpiciat,* Qui vero interrogatus quis ſit,& & vnde veniat, ſi ſe non ex terræ limo formatum dixerit, nec ſe figmentum & puluerem appellauerit. Sed prætermiſſa & neglecta ſuæ originis narratione hominem ſe doctrina & authoritate excellentem, diuini cultus promotorem præſtantem, multa bona poſſidentem vocauerit, omni poſtpoſito dubietatis ſcrupulo, aditu in regnum cœlorum prohibebitur, nam faciens mendacium, non intrabit in ſupremam illam ciuitatem, talis vero mendax eſt, exiſtimat enim ſe aliquid eſſe,& ita ſe iactat cum ſit nihil, dominum ſe nominat, & ille pauper & egenus eſt, virum ſe magnæ authoritatis appellat, ille vero eſt poſtremæ conditionis. Recte Ariſtoteles inquit. *Homo eſt imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, inuidiæ, & calamitatis trutina, reliquum vero pituita & bilis.* Luc. 18. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat, Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum , raptores, iniuſti, adulteri &c. Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.* Duo homines vt vidiſtis mente in cœlum eleuata cœleſtem ciuitatem petebant, ſed quoniam alter eorum cognitione ſui carebat, cor eius exaltatum erat, oculi elati, & in mirabilibus ſupra ſe ambulabat, alium ſe quam in re erat confidendo, ideo nullum commodum retulit, nec in portam ciuitatis excelſæ ingredi permiſſus eſt: qui vero ſuam conditionem vi-

Iob. 13.
Pſal. 74.
Eccl. 33.

 liſſimam

lissimam quã bene nouerat exprimere non erubuit, *descendit iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se humiliat* suam agnoscendo naturam, *exaltabitur*: diuinam accipiendo gratiam, & qui se supra id quod est exaltat, humiliabitur ad ima. O quam igitur pestilens malum est ignorantia sui ipsius. Talis homo qui ignorat natiuitatis suæ modum & locum, & vnde sit vel quo patre procreatus, si interrogatus respondere nesci-erit, ab omnibus præsumitur esse illegitime natus, hoc modo Christianus qui scire non vult, quod sit conceptus in sordibus, natus in doloribus nutritus in stercoribus, talis apud Deum præsumitur, non de honesto hominum genere, sed de abiectissima infernalium bestiarum stirpe progenitus, nam *qui peccatum facit, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat*. Omnis autem peccati initium superbia, & certe qui suam vilem conditionem negat, & aliter quam in re ipsa est, se ab aliis æstimandum proponit, quis illum à vitio superbiæ alienum esse affirmabit? Dicam plura, qui scire non vult se, nec cognoscit, se sicut puluis est in puluerem reuersurum, talis videtur esse non de gente humana, sed de numero brutorum animalium suam trahere originem, & non hominibus, sed bestiis talem esse comparandum. Gloriabatur Nabuchodonosor dicens. *Nonne hæc est Ciuitas magna Babylon, quam ego ædificaui in magnitudine roboris mei*, & sic se quodammodo Deum reputantem, continuo Deus in bestiam mutat. Eze. 29. ad Ægypti Regem loquitur. *Ecce ego ad te ô Pharao Draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis ego feci memetipsum, ponam circulum in auribus tuis. Prætereà* qui suæ originis notitiam non habet, ad consequendam dignitatem Ecclesiasticam, & ad perdiscendas artes

Luc. 18.

Homo conceptus & natus in sordibus.

Dan. 4.

artes Mechanicas non admittitur. Sic homo Christianus qui cognitione sui ipsius caret, ad nullam virtutem consequendam aptus & idoneus est. Veniat ad humilitatem, & ab ea supplex petat, vt eum in suum Gymnasium recipiat, & omnem animi submissionem doceat. Quæret ex illo humilitas, *Tu quis es? & quid dicis de te ipso?* Si se ignorare dixerit, illa subiunget, discede hinc, tales ad meam palæstrā non admitto, hoc enim ingressuris scholam meam, primum proponitur alphabetum, *nosce te ipsum*, nam cognitio sui, est fundamentum omnis humilitatis iuxta verba S. Basilii. *Memor inquit naturæ nunquam superbies, memor autem eris ipsius si te ipsum obserues.* Veniat ad sapientiam diuinam, & vt eius salutaribus instruatur documentis, postulet, sed & hæc quæret ex illo. *Tu quis es?* Si interrogationi congruam non afferet responsionem, proferet illi verba B. Gregorii Nazianzeni. *Sapientiæ genus est seipsum nosse.* Demonax interrogatus, quando cæpisset Philosophari respondit, tum cum cognoscere me ipsum incæpi. Veniat ad pietatem, & vt zelo deuotionis & igne charitatis diuinæ, illa adiutrice inflāmetur roget, sed audiet ab illa S. Cypriani verba. *Hic est primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicunq; pie vult viuere, humiliter de se sentiat, neq; supra se in mirabilibus ambulare præsumat*, at hoc fieri non potest, absque cognitione sui ipsius. Veniat ad scientiam de Deo subtiliter tractantem & concludentem, nec ibi aliquod reportabit emolumentum. Sed subito inculcabuntur illi, hæc verba Christi. *Confiteor tibi Domine, Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*, & sic de reliquis virtutibus dicendum est, nullius virtutis possessione homo Christianus

S. Cyprianus de natiuitate Christi.

ſtianus gaudebit, ſi cognitione ſuipſius carebit. Adhæc cui notitia originis deeſt, iſte tanquam homo ignotus, non poteſt ex nobiliſſima familia habere ſpõſam, ſed aliquam abiectiſſimam fæminarum, ducit in vxorem. Ciuitatem cœleſtem Sacra ſcriptura vocat ſponſam. Apoc. 21. *Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Per meretricem intelligit infernalem illam beſtiam ſenſuali voluptate homines ſeducentem. *Veni, & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ.* Qui igitur ſeipſum neſcit, ſuãq; originem ignorat, quod eſt fundamentum humilitatis ſponſam cœleſtem habere nequit, quæ ſolis humilibus deſponſanda promittitur his verbis. Mat. 18. *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Sed qui ſe exaltat humiliabitur, & cum turpiſſima meretrice detrudetur ad profundum inferni, vbi regnum & dominium eius eſt, qui Rex ſupra omnes filios ſuberbiæ nominatur, quod à vobis auertat, qui ſine fine viuit & regnat.

AMEN.

Ignotus honeſtam vxorem & diuitem ducere nequit.

Ciuitas cœleſtis eſt ſponſa, quæ ſolis humilibus dabitur.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica IIII. Aduentus.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Luc. 4.

Summa Contionis.

QVi deſiderio ardet habendi Chriſtum, tempore natiuitatis eius in corde ſuo, idque ſummopere optat,

optat vt ibi ſit, & ibi maneat, prouidendum illi eſt, id, ne aliud palatium niſi ſtabulum, Chriſto aduenienti ædificet, nam hic infans in ſtabulo naſciturus, à Prophetis prædicitur.

CVm Rex Artaxerxes, ad ſupremum Regiæ dignitatis gradum euectus, in ſolio excelſo cõſediſſet. Magnates turmatim cum donis ad Regem properare cæperunt, alii vaſa aurea, & argentea, quidam veſtes auro intextas, & gemmis lapidibuſque pretioſis ſplendeſcentes, pleriq; equos generoſos, aliaque his ſimilia munera, libenti animo, & magno cum affectu offerebant. Perſa quidam nomine Sineta, ne officio vinceretur, munere pro loci facultatiſq; ratione ſatis apto, aqua videlicet e præterfluente fluuio Cyro hauſta regiam venerabatur maieſtatem, & adeò quidem hoc munus Regi gratum erat, vt illud inter præcipua dona numerandum, & collocandum iuſſerit. Venturus eſt in hunc mundum Chriſtus IESVS Rex Regum, & Dominus dominantium. Varii igitur eum variis excepturi ſunt modis. Quidam vt audio veſtimenta noua, & forma quadam hactenus inuſitata conſuta pro hac ſolennitate ſunt induturi, alii conuiuia oppipara, venientibus in domum ſuam amicis, ſunt exhibituri, quidam & hi pauci Sacra confeſſione peccata ſua expiaturi. At illi Chriſto Domino rem gratiſſimam ſunt facturi, qui ad eum excipiendum ſtabulum in cordibus ſuis ædificare ſtudebunt. Attendite.

Varia munera Regi dantur, à Primatibus.

Regi pro munere offertur calix frigidæ aquæ.

Chriſto aduenienti ſtabulum ædificandum.

AVE MARIA.

STabulum designat profundam cordis humilitatē, amplissima verò palatia superbiam, qui igitur hāc virtutem in corde suo collocare studuerit, Christo nascituro stabulum ædificabit. Nam & Beatissima Virgo Maria, ideo filium Dei in cordis sui hospitium declinasse testata est, quia venturo stabulum in pectore suo à fundamentis erexerit, dicit enim. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ &c.* & *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Arces vero amplissimas, domosq; splēdidissimas & ornatissimas iste venturus Dominus summo odio prosequitur. prou. 8. *Arrogantiam & superbiam, ego detestor,* & 16. *Abominatio est Domini, omnis arrogans* & Iac. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam.* Qui igitur Christum in suo corde vult habitare, superbiam nunquam in suo sensu, aut in suo verbo dominari permittat, in ipsa enim initium sumpsit, omnis perditio. Afferam autem aliquot rationes, propter quas corda superborum Christus respuit, quarum *Prima* hæc est, Christus Dominus, vult nasci in terra, vt perditam ouem inueniat, & suis humeris impositam, ad montem Caluariæ, & inde in cœlum Empyreum deferat, at homo elatos assumens spiritus existimat se, nec in terra esse, nec ex terra formatum, sed supra id aliquid aliud de sua peruersa natura opinatur, hoc ipsum affirmante S. Ambrosio. *Superbia se extollit in hac terrena, fragiliq; substantia &c. sunt enim huiusmodi erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, ceruice resupina, qui solum quod vestigiis pedum perstringant, toto autem se librant corpore, & inani suspendant examine, cœlum spectent, terram autem fastidiant,*

Stabulū est indicium humilitatis.

Palatium signū superbiæ

Libro de Noe & arca cap. 16.

tanquam

tanquam dolore ceruicis suffixi, vt eam inclinare non possint. Altera ratio hæc est, id cuilibet à natura tributum esse non ambigitur, vt iuxta naturæ suæ procliuitatem, eligat hospitium, homo enim mansuetus pacis & quietis amans, discordiarum & litium osor, quærit hospitium quietum & pacificum, & quoniam Christus dominus de se ipso testatur dicens. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, eligere non vult domum, aliam ad manendum in ea, præter eam quæ nullis peruersorum hominum turbationibus, clamoribus, & insolentiis subiacet, quod de superbis dici nequaquam potest S. Gregorio id affirmante. *Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione.* O turbulentissimum, hospitium,. *Tertia ratio hæc est.* De hoc nasciturо puero dictum, erat ab Angelo, quia sciet *reprobare malum, & eligere bonum.* Eligit ergo stabulum, vt ostendat humilitatem, quam homines flocci faciunt esse bonam, & humano generi ad omnia bona consequenda vtilissimam: Respuit palatium vt demonstret arrogantiam quam affectant, & magni æstimant homines esse malam hominibusq; perniciosissimam. Vnde rectè S. Bernardus. *In stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur. Nonne ipse est qui dicit. Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Quid ergo stabulum elegit. Plane vt reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. &c.* Quemadmodum verò illud stabulum, non intra mænia ciuitatis fuisse, sed extra muros ad portam situm monumentis literarum docemur. Similiter corda hominum, non sunt retinenda in medio bonorum temporalium, & in gremio occupationum sæcularium, sed potius ab omnibus oblectamen-

In moralibus ca. 20.

Elegit Christus stabulũ vt pompam damnaret hominum.

Serm. 3. in natiuit. Christi.

Stabulum extra mœnia situm quid velit.

tis sæcularibus procul elonganda dicente S. Paulo. 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Origen: homil: 8. *Quam diu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus*, & S. Ioannes Chrysost. super Matthæum. *Sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus vsq; ad maturitatem seruare, sic difficile est virum iuxta hunc mundum viuentem, id est in actibus mundi, iustitiam immaculatam, vsq; ad finem tenere. Recede ergo de via, & planta te in loco secreto, vt nec mundus tecum habeat aliquid nec tu cum mundo.* Non abs re quidam homines ex hoc sæculo ad recipiendum Christum egressos capris syluestribus comparat. *Primò* quia talis capra est asperrima in victu, vnde capra à carpendo est dicta, eò quòd carpat aspera loca, sic & solitarii homines, qui se ad recipiendum Christum præparant, debent carnem suam ponere extra prata deliciarum, in asperis rupibus afflictionum. *Secundò*, talis capra est altissima in situ, vnde hæ capræ vocantur Ibices, quia ad modum illarum auium quæ Ibices dicuntur ardua loca scandunt, & sic homines egressi è voluptatibus sæcularibus, debent ad summa & inuisibilia per contemplationem eleuari. *Tertiò*, quia talis capra est acutissima in aspectu, nam in altissimis montibus videns venatores, de altissimis petris se præcipitem dat, & cadens in suis cornibus suscipitur illæsa sic solitarii in altissimis contemplationibus illuminati debent prouidere tentationes futuras, quas dum in vicino instare sentiunt, se se de petris altissimæ contemplationis ad ima, profundæ humilitatis de mittant. *Quartò*, quia talis capra est velocissima in cursu. Et similiter serui Christi debent esse in operibus sanctis, non tardi

Homines solũ Deũ quærentes capris syluestribus pulchre assimilantur.

sed

ſed velociter procedentes, ex virtute in virtutem. *Quintò*, eſt ſagaciſſima in paſtu, viſu, guſtu, & olfactu. Sic ſerui Chriſti debent eſſe ſagaces, in conquirendo cibo ſpuali, quod eſt verbum Dei, viſu legendo, guſtu contemplando, olfactu imitando exempla ſanctarum virtutum. Igitur ſic egreſſi videbitis ſcalam ſtantem ſuper terram, id eſt, B. V. Mariam, & dominum innixum ſcalæ, infantem inter vbera virginis. Angelos quoque cantantes. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sic igitur ædificate ſtabulum venturo Domino. Carbunculus lapis quidam eſt pretioſus, quem quidam referunt, animal quoddam in frõte pelle coopertum geſtare, qui proinde tunc non emicat, verum cum in eminentem locum, aut montis alicuius verticem conſcendit, partem illam pellis qua tegebatur eleuat, & confeſtim totus mons ſingulari quadam luce perfunditur. Carbunculus hic orationem ardentem diuinæ charitatis igne ſignificat, clauſo ergo oſtio, omnibuſq; mundanis cogitationibus excluſis aſcende altiſſimum contemplationis montem, & ora Patrem tuum, & ille qui videt in abſcondito reddet tibi, & efficiet te dignum, ad recipiendum filium ſuum. Adhæc ſicut illud ſtabulum, fuit omnium commune receptaculum, maximè tamen pauperum, qui aditu hoſpitii arcebantur, ita corda veſtra debent eſſe aperta Chriſto Domino, ad vos pulſanti ſicut de ſe teſtatur. *Ego IESVS, ſto ad oſtium, & pulſo ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo.* Quapropter, *ſi hodie vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Sed ſtatim corde aperto, & à peccatis pulchrè mundato, floribuſque variarum virtutum conſperſo, tam gratum excipite hoſpitem.

Scala Iacob B. V. M. Gen. 28.

Animal carbunculum in fronte geſtans.

Christus pulſat ad cor noſtrum.

Debet etiam cor vestrum esse apertum, ad clamorem pauperum, & velox ad subleuandum eos. Sedebat in ostio tabernaculi sui Abraham, in ipso feruore diei, vt peregrinum aliquem si forte adesset, humanitatis beneuolentia exciperet, & ecce adsunt tres Angeli, Sanctam & indiuiduam Trinitatem repræsentantes, & suo aduentu, eius illam in pauperes humanitatem compensantes. Igitur ô Christiane, non sit clausum ostium domus tuæ peregrinis, & pauperibus, pupillis, & viduis, hoc modo promereberis, quem Deus in hunc mundum venturus visitare dignabitur. Audite Iob, virum sanctum ac simplicem, timentemq; Deum, verba plane aurea, de misericordia erga pauperes exhibenda facientem. *Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ, egressa est mecum. Si despexi prætereuntem eò quòd non habuerit indumentum, & absq; operimento pauperem. &c,* Hæc omnia qui erga pauperes exhibuerit, ipsi Christo illa se exhibuisse nouerit, qui verò pauperes in nomine Christi, ad se venientes recipere noluerit, nunquam ad recipiendum Dei filium dignus, & idoneus erit. Placet vnicum afferre exemplum rei nostræ accommodatissimum. Legimus quadam in vrbe, hominem cætera bonum, castum, humilem, modestum, nullique obnoxium in Deum blasphemiæ, adeo tamen asperum, vt ne horum quidem emendicantium vocem ferre posset, remotius ab ædium ianua nouum struxisse domicilium, vnde nullos vel maximos pauperum clamores perciperet. Verum vbi extremum ille diem obiit, ac elato in templum funere, sacris Episcopus operari cæpit:

Gen, 18.

Iob. 31.

Ex speculo tristium Io. Durgnii Hispa. ca. 1.

cccc

ecce huic nouum & admirabile quidpiam obiicitur, quoties enim ad populum hæc Episcopus verba protulit. *Dominus vobiscum*, toties imago Christi Domini, in crucem suffixi visa est illi manus clauis eximere, ac in aures coniicere, ne preces pro illo defuncto, factas exciperet. Tali monstro attonitus, peracto demum sacrificio tantæ rei causam rimari statuit: nihil tamen à demortui vicinis, aliud expromere potuit, quam præclarum vitæ laudabilis testimonium. Et creuit non parua inde admiratio, donec tãdem certis authoribus accepit, quam asper ille & immitis in egenos extiterit, quos ne audire quidem ne dum adiuuare vellet, tum enim ille certo animaduertit, Christum Dominum pro mortuo respuisse preces, qui pauperum clamoribus aures occluderet, cuius iudicium fecerit imago Redemptoris, aures manibus obstruens iuxta illud, sap. in Prouerbiis. *Qui obturat aurem suam, ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Qui pauperi ostium domus suæ claudit, ipsi Christo hanc iniuriam infert, qui eum in domum suam recipit, ipsi Christo hoc beneficium præstat. Sint ergo corda vestra sicut illud stabulum omnium pauperum commune refugium. Insuper bos & asinus in hoc stabulo debet ad præsepe ligatus adesse, hæc duo animalia designãt corpora humana, ad carnis concupiscentias explendas prona, vt capite 7. Prouerbiorum legitur. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio &c. & procaci vultu blanditur dicens. Veni fruamur cupitis amplexibus &c.* subiicitur, *statim eam sequitur quasi bos, ductus ad victimam*, hic ergo bos caro hæc pessima alligandus est in hoc stabulo, abstrahendum videlicet corpus à prauis consuetudinibus. Qui fornicationi indulgebat, amplius

Prouerbiorũ cap: 21.

In hoc stabulo debet adesse bos & asinus.

amplius non indulgeat, qui verò furabatur iam non furetur, qui aliena rapiebat, satisfactione præmissa iam non rapiat. Ad Orientales Indos, boues esse exiguos prægrandibus rectis cornibus, sed præter oneris ferendi industriam, etiam sub fræno currere, & equitare, dociles esse equorum more. Sic pessima ista caro nutrienda est, vt ad mandatum Dei sciat currere, fræno si opus fuerit, semper domanda. Iam iste asinus paleis non tritico nutriendus, iam in stabulo ad Christi præsepe alligandus, non in pratis odoriferis floribus ascendus est. Tale stabulum si filio Dei ædificaueritis, venit Mater IESV prægnans, & pariet vnigetum filium suum, in cordibus vestris. Cui laus & honor, cum Deo Patre. AMEN.

In India mirabiles boues sunt.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 4.

Summa Concionis.

IN hac Concione, verba hæc pulchre explicantur, & quid vallis, quid verò mons, praua, & aspera significent,

gnificent, iucundis ad legendum conceptibus aperitur.

FRequenter transibat per Sunam Ciuitatem Elisæus Propheta Domini, quem videns mulier quædam dixit ad virum suum. *Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste. &c. faciamus ergo ei cænaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos maneat ibi.* O vtinam vos auditores, in hæc hodie prorumpatis verba. Adest breui in mundum sanctus Sanctorum Christus IESVS venturus, præparemus corda nostra ad recipiendum eum, vt cum venerit, maneat nobiscum. Vtinam hæc omnia pro excipiendo tam grato hospite parata habere velitis. videlicet. *Cænaculum paruum.* Cænaculum designat locum cænæ, cæna animæ nostra nulla alia salubrior, & Domino IESV iucundior, quam vespertinum conscientiæ examen. Erit enim operæ pretium, si hoc toto tempore, non ante cubitum concedatis, quam conscientiam vestram excusseritis. *Lectulus*, designat quietem conscientiæ, nam per examen discussis operibus, & si quæ mala agnoscuntur contritione sublatis, subito post nubila oritur phœbus, moritur vermis conscientiæ, & in pace in idipsum, dormitis & requiescitis. *Mensa*, cibum animæ (qui est corpus Christi,) denotat, quem semper desiderare, & supra omnia fercula appretiare tenemini. *Sella*, sedentis constantiam significat, vt iam sedeatis qui peccando manducastis panem doloris, nec arundini vento agitatæ similes retro tenentes aratrum Domini respiciatis. *Candelabrum*, insinuat, vt luceat modestia vestra, & pietas omnibus hominibus, vt videntes o-

4. Reg. 4.

Cænaculum examen significat conscientiæ.

Lectulus pacem & quietem conscientiæ.

Mensa cibũ spiritualem.

Sella constãtiam.

Candelabrũ odorẽ bonorũ operum.

pera vestra bona glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis. Hæc omnia longiorem fortassis explicationem exigebant, sed proposito meo satisfacere desiderans, ad explicanda sancti Euangelii verba me confero.

AVE MARIA.

Vallis quid significet.

OMnis vallis implebitur. Vallis designat locum profundum, in quo via recta ad discedendum per eã esse nequit, tum quia de monte in profundum declinare, res est plena periculis, tum quia talia loca, plerumq; sunt paludosa, humida & aquosa, quæ omnia illis qui in via sunt, certissima sunt impedimenta.

Profundum significat immersionẽ in peccatis.

Profundum autem in sacris literis immersionem in peccatis significare, nemo est quem fugiat. Psal. 68. *Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ, vsq; ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, &. prou. 18. *Impius cum in profundum peccatorum peruenit contemnit*, &. Ose. 9. *Profunde peccauerunt*. Iuxta Babylonem lacus est bituminosus, proximum illi est antrum, vnde grauis & pestilens halitus erumpit, quem neque terrestria animalia, neque aues ferunt, olfactu enim exanimantur, desertus ab omnibus locus. Hoc modo etiamsi ornata auro cubicula sint, cum in illis stupra, fornicationes, adulteria, incestus, conspirationes, hæreses ac alia huius modi scelera committuntur, appellari alio nomine non possunt, quam pestiferi, & lethales specus, non ab ipso loco ducta Metaphora, sed ab ipsius hominis corde, quod verticosi & latebrosi antri modo se habet. Hier. 17. *Prauum enim & inscrutabile est cor hominis*. Propterea ab ipso, vt in ab immundissi-

Antrum maxime pestilens.

Cor hominis est spelunca fœtida.

mundiſſimo, latebroſiſſimo, peſtilentiſſimoq; exhalationes mortiferæ manant, vti apertiſſimis verbis explicauit Dominus Mat. 15. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, falſa teſtimonia, blaſphemia, quæ coinquinat animam.* Implenda igitur hæc eſt fouea, & exſiccandum in ea lutum ad præparandam viam Domino, implenda eſt puluere humilitatis, exſiccandus vero paludoſus humor ariditate ieiunii. Hæſerant olim in profundo peccatorum Niniuitæ. *Et cæpit Ionas introire in ciuitatem, itinere vnius diei, & clamauit, & dixit. Adhuc quadraginta dies ſunt, & Niniue ſubuertetur. &c. Surrexit ipſe Rex de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. &c.* En quomodo implet foueam, & locum profundum peccatorum, ſacco & cinere, exſiccat vero humorem lutoſum inedia. *Et omnis mons & collis humiliabitur.* Per montes & colles, intelliguntur homines ſuperbi. *Primò,* montes enim ſunt tumidi. Mons quippe ſecundum Iſidorum eſt, tumor terræ. Deut. 1. *Tumentes ſuperbia aſcendiſtis in montem. Secundò,* quia montes ſunt elati, nam montes ſe in altum erigunt vnde dicuntur montes, quaſi eminentes, ſic ſuperbi per elationem exurgunt in altum. Iob. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur. Tertiò.* Quia montes ſunt terreni, mons etiam pede terram tangit, ſic ſuperbi affectum ſuum ſolum in terrenis ponunt, ſunt enim velut animæ pedes ipſius affectiones. Pſal. 35. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ* Hierem. 13. *Nolite eleuari, quia Dominus locutus, date Domino Deo veſtro gloriam, antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos, expectabitis lucem, & ponet eam in vmbrã mortis & caliginem, quod ſi hoc non audieritis in abſcondito plorabit anima veſtra, à facie ſuperbiæ. Quartò.* Quia mon-

Ion. 4.

Mons ſignificat ſuperbos.

tes sunt nubium generatiui,& per consequens obscu ratiui. Exo. 24. *Operuit nubes montem*, quasi enim nubes in montibus, sunt terrena desideria,& appetitus dominandi in superborum cordibus. *Quintò*. Quia montes sunt turbinum & ventorum, & fluminum plusquã valles passiui, ita superbi turbationes, percussiones violentas, & deiectiones frequentius patiuntur. Abac. 3. *Contriti sunt montes sæculi*,. Exod. 19. *Cœperunt audiri tonitrua ac micare fulmina, & nubes densissima operuit montem. Sexto*, quia montes sunt niuium diutius seruatiui, sic superbi sunt, niuis, id est frigoris malitiæ & peccati diutius retentiui. Vnde legitur Paralip. 11. vbi Banaias interfecit leonem tempore niuis. Leo significat superbum; quem tempore niuis, id est tempore malitiæ diabolus extinguit. Item superbientes de fortitudine corporis sui aut pulchritudine collibus assimilantur. Nam collis est tumor terræ breuis, sic breues dies hominis sunt. Fallax enim gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur. Ergo montes & colles humiliamini, humiliamini inquam sub potenti manu Dei, nam certum est, nasciturum Dominum ad corda superborum nequaquam venturum. Isa. 17. *Hæc dicit excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius, in excelso & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Apparuit Dominus Abraham in conualle Mambre, per conuallem intelligimus locum humilem & depressum, quo significatur corde humilibus, & inflatione animi carentibus Deum apparere, & ad eos venire solere. *Et erunt praua in directa*. Eccl. 2. *Diuerterunt in vias prauas*. & psal. 77. *Conuersi sunt in arcum prauum*, prauæ viæ sunt peccata, quæ homi-

Ad solos humiles Christus est venturus.

Gen. 18.

hominem Christianum per angustam portam in cœlum euntem, sua planitie auocant. Igitur generatio praua & exasperans, non adhæreat tibi cor prauum. Conuertere ad Dominum Deum tuum, & conuerte praua in directa. Qui per voluptates à Domino Deo tuo discessisti, reuertere per castigationes, & macerationes carnis tuæ? Qui per ebrietatem, & crapulam à diuino consortio exclusus es, per ieiunia, & sobrietatem reuertere. Qui desideria carnis sequendo à via cœli aberrasti, reuertere per gemitus & suspiria. Qui à Domino per luxuriam & fornicationem discessisti; reuertere per puritatem & castimoniam. Conuerte praua in directa. *Et aspera in vias planas.* Aspera designat opera scandalosa, nam cum auditur quispiam magni antea nominis fœda carnalitate pollutus, aspere nimis omnes hunc rumorem excipiunt, hinc D. Paulus admonet. *Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum, nemini dantes vllam offensionem,* & Christus Dominus vehementer scandalosos terret. Mat. 18. *Væ mundo à scandalis. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Qui igitur nefandis suis operibus, cæteris scandalo fuerunt, *vnusquisque eorum placeat in bonum, ad ædificationem.* Qui antea sordebat pessima fama peccati, omni ope studeat, vt de illo verba hæc vsurpari possint. 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt.* Si antea aliqui vestrum accusabantur. *Nunc sitis sine querela, simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ inter quos luceatis, sicut luminaria in mundo.* Qui verò antea iracundi fuistis, & insolescentes, nunc *modestia vestra sit nota omnibus hominibus.* Et qui antea variis peccatis Deum offendebatis, & multis

Qui offendit Deū delectatione, debet eum placare carnis afflictione.

Rom. 14.

Rom. 15.

Phil. 2.

multis fuiſtis cauſa perditionis. Nunc *Conuerſationem*
1. Pet. 2. *veſtram habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus, vos conſiderantes glorificent Deum, in die viſitationis.* Igitur Auditores appro-
Concluſio. pinquauit regnum cœlorum, Chriſtus iam in foribus ſtat. Eia egredimini é ſpeluncis, & é lacu tenebroſo prodite in lucem, nam lumen venit in mundum, vt illuminaret omnem hominem, egredimini, & illuminabit vos Chriſtus, cur in his ſpeluncis peccatorum detineri vos patimini? in quibus nulla pulchritudo, nulla iucunditas, nulla fælicitas, ſed vermes & compunctiones conſcientiæ, ſtercora carnalitatis, bufones, & ſerpentes malignitatis? Nolite obſecro vos magis diligere tenebras, quam lucem. Et vos ſuperbi humiliate capita veſtra, quis enim prima loca & cathedras ſupremas quæret audiens Chriſtum, in præſepio reclinatum, in ſtabulo collocatum, de propria ciuitate eiectum? Quis luxu veſtium delectabitur, videns vnigenitum Dei filium, pānis inuolutum? Quis ſe numeroſa familia aulicorum cingi patietur: videns Regem cœli & terræ, inter duo bruta animalia in fæno iacentem? Quis oppipara comparabit conuiuia, videns & ecce ille paruo lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit? Egredimini ergo filiæ Syon, de veſtris peſſimis conſuetudinibus, & videte Regem veſtrum, manſuetum, benignum, & humilem, & occurrentes ei, ſupplices petite vt velit ad corda veſtra diuertere, nam hoc Rege præſente omnium bonorum ſufficiens copia adeſt, omniſq; inopia deeſt, quod vt conſequi poſſitis, diuina vobis opituletur gratia.

AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica infra Octauam Natiuitatis.

IN hac Concione quinque causas reperiri docetur, propter quas Christi Natiuitas summa admiratione est excipienda, & est Concio ad mouendum amoris affectum efficacissima. *Summa Concionis.*

Erant mirantes. Luc. 2.

IN morbis grauissimis medicos non esse negligendos, sacrarum literarum testimoniis concluditur, *Honora*, inquit Ecclesiasticus, *Medicum propter necessitatem, etenim illum creauit altissimus. A Deo est enim omnis medela*, & ibidem. 9. *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit ea.* At nihilominus, & si medicina iuxta verba Sacræ scripturæ soleat esse hominibus salutaris, morboq; viribus debilitatis, eos pristinæ restituat sanitati, accidit tamen frequenter, medicum homini ægroto, parum prodesse, immo aliquando obesse, neque hoc mirum, cuiquam fieri potest. Nulla enim res adeo bonitatis priuilegio gaudet, vt omnibus adiumento, & non aliquibus summo incommodo sit. Quid sole pulchrius, vtilius, iucundiusue, at tamen oculis ægris odiosa est lux quid melle dulcius? illud tamen si quis multum comederit,

Eccl. 38.

Nulla res adeo bona vt omnibus sit vtilis.

medederit.

mederit, maximos dolores stomachi experietur, quid salubrius vino? sed & hoc non modice sumptum, varias morborum species generat. Medicus erat Christus, mundusque totus magnis febribus tenebatur, vt Sanctus Augustinus testatur. *Magnus de cœlo aduenit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus,* Attamen legitur in Euangelio, hunc medicum aduenisse in multorum ruinam, & perniciem. O prodigium admirabile. Vnum eundemq; difficilem, & facilem, iucundum, & acerbum, Seruatorem, & vltorem &c. Verum quas ob causas quibusue hominibus hic medicus non est auxilium, sed potius perniciem allaturus, in sequentibus duabus Orationibus docebo, in hac prima Christi natiuitatem, propter quinque causas admirabilem esse ostendam. Fauente mente vestra, & aure.

Propositio.

AVE MARIA.

Erant mirantes. Stupendum certe, & omni admiratione celebrandum opus, Christum Dominum natum esse Regem, (ô rem stupendam) & omni paupertate circumdatum. Si es Rex, quomodo pauper? Si Dominus omnium, quomodo egenus? O miraculum omni stupore excipiendum. Regem esse Christum Dominum, quis dubitat? quippe gentes hæreditas eius, & possessio eius termini terræ. Regesque intelligere iubentur, vt seruiant ei cum timore; & exultent ei cum tremore. De illo quoque à Psalmista dictum esse, nemo est qui nesciat. Psal. 71. *Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. &c. & adorabunt eum omnes Reges terræ, & gentes seruient*

Christus Dominus Rex & pauper sũmũ reuera miraculum.

uient ei. Pauperem verò esse Sacra Euangelii, docet lectio. *Et reclinauit eum in præsepio, quia eis locus non erat in diuersorio.* Vulpes habent foueas, & aues nidos, filius autem hominis non habuit, vbi reclinaret caput. Mirandum olim erat Darium Regem Persarum, summum in terris Monarcham, diuitiis, gloria, opibus clarissimum, in vili vehiculo positum videre, torque aureo ad maius ludibrium ligatum, ab omnibus desertum, solum vulneribus defossum decumbentem, & vt sibi aquæ frigidæ poculum offerretur, supplicantem spectare? Cum eius tam abiectam & postremam fortunam vidisset Alexander, lacrymarum vehementem vim effudit, & in voces lugubres prorupit, plurimum conquerens de fortunæ inclementia, quòd eum qui multis millibus exercituum auro & gemmis fulgentium cinctus incedebat, ab omnibus derelictum, & contemptum mori permitteret. Sed magis admirandum te Domine IESV, in præsepio collocari, & pannis inuolui, & in fæno positum iacere. *Tu dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius tu mitigas. Tui sunt cœli & tua est terra, & plenitudinem eius tu fundasti,* & talis tantusque Dominus in præsepio reclinaris? Cœli & terra obstupescite tantum prodigium. O Sol vidistin aliquando Regem in præsepio. Regem stabulo, Regem in fæno iacentem, si vidisti cur non obstupuisti: sed magis tibi obstupescendum est, cum eum sic videas in stabulo requiescentem, quem omnia astra ab æterno laudabant regnantem. Rex es bone Domine IESV. Nisi id tua reuelante gratia scirē, nunquam profectò crederem. Si es Rex, vbi palatium Regium? Si es Rex, vbi multitudo aulicorum præsentium? cohortesq; militum? Si es Rex, vbi Regi

Miserrima conditio morientis Darii

P conue-

conueniens solium? Nihil ego circa te Regia dignum maiestate bone IESV video, sed loco Palatii stabulum, loco aulicorum corsortium duorum animalium, loco diuitiarum telas aranearum omnes intuemur. O stupenda miracula. Vbi es Propheta Sancte, qui olim dixisti. *Vidi Dominum supra solium excelsũ?* hoccine exelsum solium, durum præsepium? O vilem Regis nostri apparatum. Angeli Dei videtisne Regem vestrum cuius vestimenta nuditas, cuius famuli duo bruta animalia bos & asinus, cuius palatia stabulum, cuius deliciæ frigus & durum præsepium? Videmus, respondent, & vehementi admiratione detinemur, tantam Regis nostri submissionem animaduertentes, ille enim cuius domus cœlum Empyreum, cuius scabellum orbis terrarum, cuius nos omnes serui sumus, sicut nouissimus virorum in loco illo in quo pecudes clauduntur requiescit, an hoc mirandum non est? Iterum ego te alloquor bone IESV, nam tantam tuam humilitatem, tantam paupertatem, tam abiectum & tam vilem in Rege amictum satis mirari nequeo. Rex es, vbi diadema Regium? Rex es, vbi sceptrum aureum? Rex es, vbi annulus Smaragdo, aut adamante insignitus? Rex es, vbi torques aurea? Rex es, vbi pretiosa monilia. O Regem nostrum valde mirabilem. Res certè mirabiles cunctis hominibus visa est, cum Rex Nabuchodonozor ex hominibus eiectus esset, & fænum vt bos comederet, & rore cœli corpus eius infectum esset, sed qui causam, quare sic punitus fuerit, nempe superbiam eius in Deum cognouerit, iure meritò hæc illi euenisse affirmabit. At tu bone IESV, quãdo vel vnicum comisisti peccatum? quando præceptis

Dan. 4. *Rex Nabuchodonozor inter bestias eiectus.*

ptis

ptis Patris tui contraire tentasti? quando voluntati paternæ resistere præsumpsisti? & tamen eiectus es ex ciuitate Bethleem, inter belluas in fæno positus, omnem aëris intemperiem sustinendo. O stupendum miraculum. Miserabilis sors Cyri fuit, cum natus subito eiectus fuisse legitur, sed repertus ad vbera canis, à Pastore in domum recipitur, & lacte humano educatur. At meus Dominus IESVS, in propria venit, & sui eum non receperunt, nullus eum in domum recepit, nullus inuitauit, necessaria nullus præbuit. Mirabilis igitur res est Christum Regem esse, eumque pauperem? Altera res, cuius ergo Christi Natiuitas admirabilis fuisse concluditur, nempe Christum natum esse diuitem, & nudum: si diues quomodo nudus? si abundans, quare vilibus pannis non tunicis auro intextis inuolutus? si omnium rerum abundantia repletus, quomodo in fæno & non in lecto, molliter strato iacet? Quod verò diuitiis abundet quis ignorat. Nam Domini est orbis terræ, & plenitudo eius, eius est aurum & argentum, vniuersique Reges & Principes eius esse subditi agnoscuntur. Ille est homo diues, qui habebat villicum. Ille est homo diues, qui fecit cænam magnam, & vocauit multos. Rex Saladinus iam iam, vitam cum morte commutaturus, vocatis ad se suis familiaribus præcepit eis, vt sine mora indusium quo ille indutus sepulchro esset includendus, per omnes Ciuitatis plateas portarent, voceque clara cunctis inculcarent, Regem Saladinum nihil aliud, præter illud vile indusium secum asportaturum. Simile quid Christum Dominum, his diebus fecisse in manifesto est. Adsunt enim Angeli, & Regem cœli in terra natum

Cyrus post natiuitatem suam in syluis expositus.

Altera causa propter quã Christi Natiuitas est mirabilis.

annuntiantes inquiunt. *Hoc vobis erit signum, inuenietis infantem pannis inuolutum*, ac si dicerent nuntiamus vobis Regem Regum, in carne humana apparuisse, sed nihil aliud secum, nisi viles pannos, & nuditatem attulisse. Cum Iehu veniret in Israel, *Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos eius stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem Iehu*, sed sine mora ad mandatum noui Regis præcipitata est deorsum, & equorum vngulæ conculcauerunt eam, dixerunt ergo prætereuntes, cum non inuenerunt nisi Caluariam, & pedes, & summas manus. *Heccine est ista Iezabel?* Non me abs re facturum existimo, si historiam hanc Christo Domino in mundum nato applicare voluero. Ille enim dum in sinu DEI Patris requiesceret, ô quam iucundus, pulcher, & diues erat, hodie è cœli fenestra in terram demissus, inter bruta animalia collocatus est. Qué nos aspicientes magno cum affectu in hæc prorumpamus verba. Hiccine est ille filius Dei vnigenitus? Hiccine est ille cuius regni non est finis? Hiccine est ille, in cuius regno sanitas est, sine infirmitate in regno mundi subiacens infirmitate? Hiccine est ille, in cuius regno satietas est sine fame, in regno mundi paruo contentus lacte? Hiccine est, in cuius regno abundātia sine penuria, in regno mundi omni subiectus calamitati & miseriæ. &c. Gilimer Rex in Africa Vādalorum, diu fælix fuerat, opes terrasq; victoriis quæsierat: vertit se fortuna, & Belisarius a Iustiniano Imperatore missus cum exigua manu hominé euertit. Acie igitur victus fugit in Numidiæ excelsum mōté Papum, atq; illic obsidone aliquādiu tolerata, desperās ad Pharā misit, qui mādato Belisarii obsidebat, actum super deditione simulq; petitum, pa-

nem

nem sibi mitti, spongiam & Cytharam. Panem fami reuelandæ, spongiam siccandis oculis, cytharam leniendo animo. Certè miserabilis huius Regis conditio erat, & omni compassione excipienda, sed tamen magis compatiendum Christo, qui sponte cœlestibus derelictis bonis nostro ductus amore, cum esset diues, factus est omnium miserrimus. Apud Cræsum erat Lydiæ diuitem illum Regem, qui Solonem comiter, vt peregrinum excipiens, & gazam omnem atque opes ostentans. *Et quid vides ne? Habes hominem dicere me hominem beatiorem?* Habeo inquit Solon, & Telum quendam hominem modicæ sortis, sed in ea quietum, nominauit: tum & duos alios qui vita benè acta essent defuncti. Risit Cræsus, *& nos quo loco sumus? haud dixerim inquit Solon, nec fas beatum etiam censere, qui in his vitæ fluctibus iactatur. Nonne tempestas interuenire potest, & turbo qui euertat?* Nec sic hominem docuit, sed fecit mox Cyrus, nam ille acie victum, & vinctum rogo imposuit exurendum, cum Cræsus clamare incæpit. O Solon. Miratus Cyrus rogari iubet. *Quem in extrema illa sorte hominum deorumue inuocaret? dixit Solonem sibi in mente esse, qui sapienter monuisset, non fidere præsenti fortunæ, nec beatitudinem ante finem vindicare. Risi* inquit *nunc probo.* Probauit & Cyrus, statimq; ad modestiam etiam ipse flexus, liberari Cræsum iussit, & in amicos transscripsit. Cyrus Rex fortissimus, videns in rogo Cræsum comburendum, & audiens lugubrem vocem eius, misericordia ductus, crudelem in eum animum mutat in benignum, & quem igne de medio tollere decreuerat, eum libere dimissum in numerum amicorum recipit. Nos videntes Christum in præsepio duro iacentem, & præ frigoris molestia lacrymantem, quo-

modo poterimus lacrymas continere? quomodo animaduertentes maximam eius egestatem siccis eum intuebimur oculis? quomodo scientes omnia incommoda omnesque calamitates eum amore nostro pati, non curabimus ei in cordibus nostris condignum præparare hospitium? Verè enim exinaniuit seipsum formam serui accipiens, & in similitudinem hominum factus. Venit in mundum Dominus IESVS nudus, vt cunctis manifestum, & notum faceret se paratum prosilire ad flagella, pro amore hominum subeunda, & ad cruciatus etiam maximos tolerandos. Venit nudus, vt eum indueret humanum genus, & redderet illi summum illud beneficium, quod tum exhibere dignatus est, cum primum Parentem nostrum, ex paradiso eiectum, pelliceis tunicis indutum dimitteret. Sed ô bone IESV, nulla tibi exhibebitur gratitudo, peccando in te homo, promeruerat, vt a dehiscente absorberetur terra, & tu tamen vestitum dimisisti. Tu venisti nudus, vt saluetur perditus homo. Omnis spes in matre tua benignissima quam rogo, vt contegat nuda membra tua. Verè ergo res mirabilis, Christum Dominum diuitem esse & pauperem. *Tertia* Christi Domini Natiuitatis circumstantia animos nostros in maximam inducens admirationem hæc est. Christum Dominum esse magnum, & paruum, si magnus quomodo paruus? si paruus quomodo magnus? vtique *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.* & Iob 11. *Excelsior cœlo est, quid facies? profundior inferno vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Tantus igitur tamque magnus Dominus, qui cœlum & terram implet quomodo in sua Natiuitate paruus esse

Tertia causa propter quã Christi Natiuitas est admirabilis.

Psal. 47.

esse agnoscitur? *& reclinauit eum in præsepio, quia illis locus non erat in diuersorio*, en cuius sedes cœlum erat, in mundo nascenti durum præsepium pro throno offertur? An non igitur paruus quem cum cœli & terra capere non possent, continuit præsepium? O quam dissimilis est iste thronus tuus Domine IESV, ab illo, quem se vidisse dilectus discipulus tuus profitetur. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & septem lampades ardentes ante thronum &c.* Ad hæc *quatuor animalia requiem non habebant, die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus. &c.* Adfuerunt & *viginti quatuor senes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Sed ad hoc præsepium nulla audiuntur tonitrua, nulla conspiciuntur micare fulgura, nulla tremendæ Maiestatis tuæ Regiæ videntur indicia? nulla congregatio venerabilium Senum (vnico S. Ioseph excepto) ad thronum tuum procedit, sunt quidem ad præsepe duo animalia, sed & illa profundum tenent silentium. O admirabilem natiuitatem tuam bone IESV. Vbi primum Rex Salomon successione hæreditaria regnum paternum obtinuit, *fecit thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus & summitas throni rotunda erat, in parte posteriore, & duæ manus hinc atq; inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. Non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Tu verò plusquam Salomon bone IESV, quare ergo ad regnum mundi veniens, pro palatio stabulum, pro throno præsepium eligis? hac in parte minor es, vt video Rege Salomone, talis enim sedes in vniuersis regnis, nulli vnquam ad sedendum posita fuisse legitur. Video bone Domine, te minoratum esse, paulo minus non solum ab Angelis, sed etiam

Apoc. 4.

3. Reg. ca. 10.

Christus paulo minoratus etiã ab hominibus.

etiam à filiis hominum? Valde igitur mirabilis es in hac stupenda natiuitate tua bone Domine. *Quarta*, circumstantia natiuitatem Christi, nobis admirandam faciens hæc est. Christum Dominum fortissimum esse zelotem, confringentem Cedros, & dæmones superantem, & puerilibus contectum membris in præsepio lachrymantem, si puer est, quomodo fortissimus Athleta nuncupabitur? si fortissimus Dux, quomodo in puero tanta fortitudo inesse credetur? Attendite. Nicephorus, Callistus, Suidas, Cedrenus referunt, tempore natiuitatis Christi, Apollinem Delphicum, qui sæpius oracula reddere solebat, tunc ab his responsis cessasse. Augustus Cæsar, qui tunc temporis Imperii Romani clauem tenebat, interrogauit ab ipso Apolline causam, cur ita à solitis abstineret responsis? Cui dæmon.

Christus etsi puer sit natus est tamẽ fortissimus dux & hoc est mirabile.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub orcum
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Inquit Simon Maiolus. Memorant arborem esse, quæ Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis, ægrotis admota, morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est Ioseph, cum propter Herodem assumptis secum Christo & Maria Sancta Deipara fugisset, venisse Hermopolim, atque simul vt portæ appropinquauit, istam arborem, licet plane maximam, aduentu Christi turbatam esse, atque ad solum vsque se inflexisse, & Christum adorasse, & subiicit. Verisimile est arborem illam quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem vel potius in ea malum dæmonem lege gentilitia venerabantur,

Dies Can. de Plantis.

bantur, ob Christum talium rerum euersorem qui eo in loco comparebat, dæmone perhorrescente, sua sponte commotam fuisse. Omnes etiam Ægyptiorum statuas adueniente tum Christo iuxta Prophetiam Esaiæ concussas legimus. O quam igitur puer hic fortis erat, ad cuius in mundo præsentiam omnis hostium multitudo terga vertere compulsa est. Post nuptias Philippus per quietem visus est, coniugis aluo insignem affixisse bullam, cuius sculptura quemadmodum is existimauerat, Leonis haberet imaginem. Quod vates ita sunt interpretati, ipsam quidem esse grauidam, animosum quoq;, & Leonis natura præditum infantem parituram. Sed reuera, magis hoc Duci nostro ex V. B. M. genito conuenire quis non videt? quippe, *Vicit Leo de tribu Iuda.* *Quinta* Circumstantia admirabilem Christi natiuitatem reddens hæc est. Mirum certè est, Christum Dominum multorum beneficiorum generi humano collatorem ab omnibus contemptum. O summam ingratitudinem? O scelus nefandissimum, mala pro bonis reddere. O qualis tuus Christe IESV in hominem amor, vt homo patriæ cœlestis ingrederetur palatium, tu voluisti egredi in exilium, & pro tam insigni beneficio en quomodo tibi pessimus homo obtulit stabulum. O qualis erga nos æterni tui Patris bone IESV dilectio, qua, vt seruos pristina libertate, & sanitate donaret, te filium suum vnigenitum tradidit, & homo ingratus pro tanta gratia, tibi durum præsepium dedit. Tu vt hominem diuitiis cœlestibus locupletem redderes in hanc lacrymarum, & miseriarum vallem descendisti: sed ab ingrato homine, non gratiam aliquam, sed barbaram in humanitatem

Curtius li. 4.

tem in te exhibitam vidisti? O admirabilé natiuitatem tuam. Graue est Dominum à seruo é domo propria eiici, grauius Patrem à filio, grauissimum Regé a subdito. Eiectus est Christus Dominus à seruis, Pater à filiis, Rex à subditis. O rem grauissimam. Molestum est peregrinum in hospitium non recipi, molestius Conciuem vel vicinum, molestissimum ipsum Patremfamilias, à proprio arceri limine. Non est receptus Dominus Iesvs, ò rem molestissimam. Res est plena dolore, Regem é Palacio deturbari, quid ab omnibus contemni? sed hoc detestandum in stabulum relegari, relegatus Christus. O rem dolore plenissimam. Tu bone Domine, videns hominem cum hostibus immanissimis, & crudelissimis pugnantem, & in magno periculo periclitantem, in arenam descendis, & pro homine pugnans breue post tempus, es interficiendus, at homo ingratus te suum defensorem, protectorem, Ducem & Imperatorem cōtemnit, é domo expellit, nec debito honore præuenit. O grauissimum scelus. Tu sciens ad salutem ægroti hominis necessarium esse, vt sanguinis tui lauacro recreetur, aduenisti de cœlo medicus, vt é tuis visceribus elicitum sanguinem, illi liberaliter offerres, at ingratus homo ad contegendam nuditatem tuam nihil begnissimæ Matri tuæ vult offerre. O rem molestissimam. Quid tibi tum animi fuit B.V.M. cum é ciuitate illa in stabulo filium paritura discederes? Credo ego benigna Domina, lacrymas vberrimas te profudisse, & tantam hominum ingratitudinem, & barbariem admiratam fuisse. Et te Domine mi alloquor, quid tum cogitasti, cum te in propria venientem, à seruis eiectum agnouisti? O mira-

cula. O prodigia. Generationem tuam Domine, quis enarrabit? Mirabilis enim es in omnibus operibus tuis. Sed iam finis ſit dicendi. Obſecramus te piiſſima Domina, intercede pro nobis, ne pro hac inſigni ingratitudine noſtra, aliquod ſuperueniens experiamur malum, ſed vt potius lucente eius nobis gratia, quem tuis lactaſti vberibus, cognoſcentes hæc in nos collata beneficia, eum ex toto corde diligamus, noſtramq; malitiam perſpicientes, dolore vehementi compuncti doleamus, quod nobis præſtare dignetur, filius tuus, cum Patre & Sancto ſpiritu, ſine fine regnans.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Lucæ 2.

Summa Concionis.

QVibusnam Chriſtus natus ſit ad reſurrectionem, ſingulari conceptuum varietate aperitur.

IN regno Delii fertur eſſe arbor Baxana, adeo venenoſis radicibus, vt ſtatim perimant tangentes; verum illius fructus, cui nomen Nirabix, adeo ſa-

 lubris

bris est, vt huic veneno ac reliquis omnibus præsentaneum remedium sit. Mirum certè vnam eandemque arborem causam mortis salutisque materiā præbere. Hoc modo mirandum est Christum Dominum summam, & essentialem bonitatem, natum esse, quibusdam ad salutem consequendam, reliquis verò ad æternam damnationem incurrendam, quis enim credet ex vno eodemq; fonte riuos salubres alios, alios autem perniciosios fluere? sed antequam veniam ad demonstrandum, quibusnam Christus Dominus natus sit in resurrectionem, placet de quadam arbore, Lotos nuncupata mentionem facere. Est enim in Euphrate flumine hæc arbor huius proprietatis, vt vespere cum flore mergatur, vsque in medias noctes, totaque abeat in altum, vt ne demissa quidem manu possit inueniri: vertitur deinde paulatimque submergitur, & ad exortum solis emergit, extra aquam, ac florem patefacit, & adeo exurgit, vt plane ab aqua absit alte, similiter Christus Dominus cum venerint ad eum homines in tenebris ambulantes. *Via enim impiorum tenebrosa est?* subito florem bonitatis suæ claudit, & elongat se Dominus ab impiis. Qui verò in luce ambulant, & ad Dominum venientes afferunt in in cordibus suis exortum sanctitatis lumen, his adest Dominus in solatium, in auxilium & in præmium. Sed hoc fusius in hac oratione audire licebit, cum illi quorum summo commodo Christi Natiuitas stetit à nobis in medium producti fuerint.

Dies Can. de Plan.

Plinius li. 13 cap. 18.

AVE MARIA.

OMnibus illis qui Christum nascentem in hospitium cordis sui omni cum honore & reuerentia rece-

receperunt lux orta est, magnaque ex natiuitate eius profluxit natiuitas, idque ita esse S. Ioanne Euangelista affirmante discimus. Ioan. I. *In propria venit, & sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ecce quam ingens Natiuitatis Christi commodum. In Ombrio Insula, quam è ferro nuncupant nouo nomine, nullum prorsus aquæ genus existere, cum nec scaturigines, puteiue vlli sint, neque vnquam ibi pluere, sic nec in Ægypto multi referunt at Dei beneficentia, ab arbore aquarum scaturiginem excitat quotidie summo crepusculo. Exsudat enim plurimo quasi rore arbor illa, à stipite, tum à ramis ac foliis non aliter atque si nebula in aquas solueretur: vbi sol irradiauerit, soluta prorsus circa arborem nebula desinit aquarum distillatio: profluit tamen illo modico crepusculi interuallo, tanta aquarum copia, quæ incolis & iumentis supersit, estque vehementer salubris. Per integrum Aduentus Domini spatium supplices in cœlum clamabamus. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. &c.* & ecce descendit Dominus in carne humana, sicut pluuia in vellus, rupti sunt omnes fontes abyssi diuinæ misericordiæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia diuinarum gratiarum super terram vberrima, sed quemadmodum illa arbor in Ombrio Insula, illis solis refrigerium afferebat, qui ad aquã ex frondibus eius manantem hauriendam confluebant, sic qui ad hunc cœlestem rorem colligendum, & in cordib⁹ suis conseruandum Christum, inquam natum concurrunt, summam inde capiunt vtilitatem, secus si non adsunt, steriles manent, pluit quidem cœlum, sed terra illa non germinabit Saluatorem, nec dabit

Qui Christũ Dominũ receperunt, eis natus est in salutem.

fructum suum, etsi Dominus nascendo dederit benignitatem. Fælix qui Christum natum in pectore tenet. Suscepit olim pauper vidua in domum suam. E-
3. Reg. ca. 17. liam virum sanctum Prophetam Domini, & *ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus*, ægrotauit quoque filius mulieris illius, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus, sed ad orationem Eliæ, reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. Elizeo etiam in domo sua mulier Sunamitis cum viro suo fecerat cænaculum paruum, vt cum venisset ad illam ciuitatem maneret ibi, & ecce cum esset sterilis dicit illi vir Dei. *In tempore isto*
4 Reg. c. 4 *in hac eadem hora, si vita comes fuerit habebis in vtero filium*, qui postea cum mortuus esset, & anima matris summa amaritudine opprimeretur, ad vitam reuocatum puerum reddidit matri suæ. Quod si serui Domini nostri tam liberales erga eos, à quibus recepti in domum fuerant exstitere, quid de ipso loquar Domino? si talia beneficia conferre potuerunt serui, qualia ipse poterit exhibere Dominus? iterum atque iterum fælix terque quaterque beatus, qui Dominum nascentem recipere in domum cordis sui studuit, nã hæc eius erga Christum humanitas, tanquam erga liberalissimum exhibita Dominum sine dubio multa illi peperit bona. Consuetudo enim est, dum aliquis in domum benigne recipitur, gratitudinis gratia, Paterfamilias ab illo muneribus cumulatur. Otto Rufus tertius eius nominis Imperator Romanorum, cum permagno & splendido comitatu pacatus in Poloniam ad sepulchrum S. Adalberti venit. Acceptus est à Boleslao Principe Polonorum, habitusque vna cum suis omnibus plusquam regali magnificentia, &

Martinus Cromerus de rebus Polonorum lib. 3.

tia, & liberalitate, & cum aliis amplissimis donis, tum abaco & instrumento mensæ omni aureo, & argenteo, quod triduo nouum semper promebatur, aulæisque & vestibus pretiosis donatus. Volens autem tam splendido hospiti, & amico Principi parem referre gratiam, collocutus cum consilio, quod secum in comitatu habebat, Regem appellat, sociumque & amicum Romanorum Imperii: à tributo & omni Iurisdictione Imperatorum immunem. Ac diadema suum Gaudentio Archiepiscopo solemnes cæremonias peragente ipsi imponit: eumque honorem sempiternum, ipsi & posteris ipsius in Polonia regnaturis esse iubet. His adiungit hospitale munus: vnum de clauis quibus Christus Dominus & Deus noster cruci affixus esse dicitur: & lanceam D. Mauritii, quæ in Basilica Cracouiensi, vbi sedes est Episcopi, adhuc visuntur. Certè Imperator terrenus maxima gratitudinis beneuolentia omnem humanitatem Principi nostro reddidit, quid de Imperatore cœlesti, qui & benignior, liberalior, munificentior, ditior, omnibus terrenis Monarchis prædicatur, existimandum est? an non ille maiora dona illis qui eum recipiunt exhibet? & ita rem se habere omni dubietatis scrupulo postposito credendum est. Placet ex eodem authore aliud rei nostræ conueniens proferre exemplum. Extincto Popielo vel potius à muribus deuorato, cum vxore & liberis, conuenit magna Procerum multitudo Crusuiciam, ad creandum nouum Principem. Erat autem Crusuiciæ oppidanus Piastus nomine, statura infra mediocrem, crassis atque robustis artubus, mediam ætatem supergressus, agello modico colendo, & mellificio vitam

Idem author lib. 2.

Piasti genus humile & cõditio postrema.

tam sustentans, homo simplex & iustus, & beneficus tamen in egenos, atque hospitalis pro modo facultatum suarum. Is ex vxore à suis moribus non aliena, vnicum filium susceperat, cui primam comam gentili ritu tonsurus, & nomen impositurus, amicos ad eam cæremoniam atque conuiuium, porco mactato, & aquæ mulsæ vase infuso inuitarat. Priusquã stata dies adesset, fortè obtulerunt sese ignoti duo homines habitu peregrino: quos ille cum regia excluderentur, comiter inuitatos, hilare domum suam introduxit: instruxit mensam, apposuit affatim ex his quæ ad futurum conuiuium præparauerat. Ibi res mira & stupenda accidit. Accreuit porcina, redundauit ex vase mulsa: excepit Piastus vasis, admonitu hospitum conquisitis. Iisdemque authoribus non ciues modo, verum etiam Proceres ipsos cum omni comitatu destinato conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus sub tempus comitiorum venientibus, & iubentibus, Piastus ex tenui pœnu cellaque sua conuentum illum omnem penuria laborãtem, augescente rerum earum quæ promebantur copia refecit. Quo miraculo animaduerso vulgatoq; , vna voce omnes Piastum non humanis suffragiis, sed diuino iudicio Principem sibi dari conclamant. Fit domum eius concursus orantium, & obsecrantium, labenti Reipub. vt succurrat. Recusat ille. Tandem hospitibus illis suis authoribus assensus, ita vt erat veste & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus in regiam à Primoribus deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo disparuerunt. Existimantur autem hi fuisse Angeli Dei, beneficentiam & hospitalitatem etiam in alieno à vera religione remunerantis. Neq;

Beneficentiæ & humanitatis remuneratio.

id ma-

id magnopere mirabitur quiſquis de Abimelech Rege in Geneſi, ac de Cornelio Centurione in actis Apoſtolorum, non omnino diſſimilia legerit. Alii volunt eos Ioannem & Paulum, quos Iulianus Imperator ob Christi nomen, & magnas facultates, in vſus egentium expenſas, antea necauerat, fuiſſe: itaque percontanti Piaſto nomina ſua edidiſſe. Hactenus Cromerus. Semper Deus liberalis beneficentiæ & humanitatis remunerator fuit, ac proinde qui erga ipſum aliquod humanitatis genus, recipiendo eum in cor ſuum, exhibuit, multis beneficiis ab illo ditatus & beatificatus remanſit. *Fuere* etiam Paſtores, quibus natiuitas Chriſti magno ſolatio & ingenti gaudio, immo etiam maximo commodo fuit. Luc. 2. *Et Paſtores erant in regione eadem vigilantes. &c. & ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Paſtorum genus vt omnibus compertum eſt, eſt genus hominum abiectum & humile: ſuperbis enim & qui alta ſupra ſe ſapiunt nequaquam Chriſti natiuitas fructuoſa & vtilis erit, ſed illis tantum qui ſe humilitatis ergo etiam pecoribus comparare non audent. Qui igitur æſtuant deſiderio percipiendi aliquos ex natiuitate Chriſti fructus, ſint de ſorte paſtorum, neq; in mirabilibus ſupra ſe ambulare præſumāt. Hinc Ioſeph Patriarcha, totius Ægypti magnus Gubernator, Regi Pharaoni Patrē ſuum iam ſenectute bona præditum & fratres ſuos præſentaturus ſic illos allocutus eſt. *Cumque vocauerit vos Rex: & dixerit*

Paſtoribus & non Principibus Chriſti natiuitas fuit reuelata

Gen. 57. Terra Gessē fertur esse fertilissima.

quod est opus vestrum: respondebitis. Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos & Patres nostri. Hæc autem dicetis vt habitare possitis in terra Gessen, quæ fuit omnium fertilissima. Hoc modo si quis vestrum ardeat cupiditate, copiosissimas diuinæ gratiæ ex natiuitate Christi, profluentes consequendi facultates, veniat in conspectum Domini abiecto humilitatis amictu indutus, nam & Dauid de post fœtantes acceptus est, pascere Israel gregem Dei, & Moyses dum pasceret oues, eligitur in ducem magnum, & legislatorem clarissimum. Natus est igitur Christus Dominus ea intentione vt deponat potentes de sede, & exaltet humiles. Plane memoratu dignum est, quod de Rege Bohemiæ Pribislao Krantzius scriptor fide dignus refert, quomodo ignobili & obscuro homini Principatum detulerit Deus. Bohemis imperabat *Libussa* vnica Regis filia, quæ moriente Patre, virgo cæpit administrare paternam ditionem, tam prudenter, vt Rex diu nullus desideraretur in ea gente. Ita circumspexit omnia, ita iustitia insignis erat, vt nemo sub illa quereretur se suo destitutum: adeò scelerum vltrix, vt impune nemo peccaret. Mansissent Proceres sub fœmina longius: sed mortalem prospicientes, semen Regium ex illa desiderare videbantur. Dum tamē nemo audet interpellare super ea re fœminam, sumpsere audaciam nonnulli ex maioribus, vt voluntatem Procerum, & totius populi consensum atque desiderium explicarent. Illa toruo primum vultu intuita referentes. *Quid est inquit, quod vobis desit in hoc rerum statu, vt Regem desideretis?* At illi. *Nihil si te immortalem haberemus, nunc quoniam communi omnes sorte sumus defecturi, cum te carere iam debeamus, semen ex te Regium mitigaret populi*

puli desiderium , & ingentem nominis tui affectum. Dissimulabat aliquandiu casta mulier populi de se desiderium, tam illam delectabat thorus sine socio , tam cœlibatus illi inhærebat. Sed cum illi finem non facerent, illa oraculo communita, iussit ornari candidum gradarium equum , cui proficiscens insidere solebat. Illum sequi præeuntem Proceres iubet , & apud quē is consisteret quiescens, qui de ferrea mensa cibum caperet, Regem mox consalutarent , nam illum dignaretur thoro maritum, quem fata iumento imperantia monstrarent. Sedulo implent quod iusserat Regina, sternunt iumentum , & permisso illi fræno liberum sinunt præire. Illi porrò sequuntur , obseruantes quo vadat. Abibat in agros viam non paruam, nec per solita gradiebatur itinera : sed compēdia quærere visum, ibat in directum per nemora, per dumeta, per agros, donec ipsa iam meridie deprehenderet hominem labore fessum , se ad refectionem in agro quem arauerat reponentem, Verterat aratrum, & ferrum ex sulco attrito splendescens in planiciem positum pro mensa habebat. Cum hominem cerneret iumentum, ecce stetit immobile , nusquam diuertens aut circumspiciens. Aderant dicti Primores qui id obseruabant , vbi vident hominem aratri ferro vti prodisco, recolunt quid de ferrea mē sa illis Regina mandasset obseruandum. Voto se potitos interpretantur, & gaudent. Mox sciscitantur de nomine. Pribislao inquit *nomen mihi est.* Illi vero. *Surge protinus, & conscende stratum tibi iumentum,* pertrahuntque ad Reginam insinuantes quid repererint . Illa facto monstratum virum complectitur,& pro regia dignitate suis nudatum vestibus ornat, & thoro digna

Iumentum procedit Regem monstraturum.

tur. Sic sic ô auditores, ab aratro & pecoribus eue-
hit, ad solium Regiæ dignitatis humiles Deus. *Præterea*
Regibus à lõge veniẽtibus magno cum illorum gau-
dio Christi natiuitas reuelata fuit. Reges hi à longe
veniẽtes, designãt homines illos, qui tumẽtes super-
bia, & propria excellentia sicut diademate regio in-
signiti, per varia crimina in regionem longinquam à
Deo alienati miseram ducunt vitam Apo. 18. *Cecidit*
Babylon magna cum qua fornicati sunt Reges terræ, rectè per hos
Reges peccatores, & omnes qui inique agunt intel-
ligendos esse censeo, reges enim sunt, nam legibus
diuinis subiacere nolunt, reges sunt, nam erecta
ceruice, & elatis superciliis, pomposo gressu & splẽ-
dido vestitu, cæteris antecellere nituntur, Reges
sunt, quippe Dei vicariis obloquuntur, resistunt, nec
illos debito honore præuenire dignantur. Præclare
Psal. 2. de his Psalmista. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuene-*
runt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Di-
rumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.
Sunt autem omnes peccatores à Domino Deo, im-
menso locorum interuallo disiuncti, quippe. *Longe*
prou. 15. *Dominus ab impiis*, & Isai. 46. *Audite me duro corde, qui longe*
estis à iustitia. Hi omnes si ad Christum natum submissa
humilitate induti, aurum ignitæ charitatis erga il-
lum toties à se offensum, & myrrham, castigationes
videlicet & macerationes luxuriosæ carnis, Oratio-
nesq; feruẽtissimas sicut incensum in conspectu Domi-
ni offerentes venerint, magnam ex natiuitate Do-
mini percipient vtilitatem, & reuertentur per aliam
viam in regionem proximam Deo, miserebiturque
eorum Deus, & in gratiam suam receptis magna do-
norum cœlestium bona conferre illis dignabitur, est
enim

enim hoc cunctis notum ipsa experientia magistra, vt dum aliquis supplex cum lacrymis, (qui antea magnus esse ferebatur) ad pedes etiam maximi & potentissimi Monarchæ procidit, mirum in modum commoueantur viscera Principis, hinc facile etiam hosti condonat veniam, subitoque in terra iacentem erigere mandat, & quid velit benigne interrogat. *Videns Iudith Holofernem, sedentem in Conopeo, quod erat ex purpura & bysso, & auro & Smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum, & cum in faciem eius intendisset, adorauit eum prosternens se super terram, & eleuauerunt eam serui Holofernis iubente Domino suo.* Iudith 10 Simile quid de Ester Regina legitur, quæ vehementer territa terribili aspectu Regis Asueri corruit in terram, & Rex *exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Ego sum frater tuus noli timere Ester.* Ester 15. Venite peccatores adorate Regem natum, & procidentes ingenua plorate ante eum, quoniam ipse fecit nos, & ipse est Deus noster, & nos omnes oues pascuæ eius, quod cum feceritis hac vestra submissione vehementer commotus, sua dextera vos à terra eleuans benignissimis verbis alloquetur Nolite timere. Ego sum frater vester. En ego caro de carne vestra, & os de ossibus vestris. Sisygambis mater Darii captiua in castris Alexandri, aduoluta est pedibus regis, &c. quam manu alleuans Rex. *Curtius li. 3.* Non errasti inquit mater. *Insuper* hominibus quibusdam in senili ætate constitutis Christi natiuitatem, magno commodo, & solatio fuisse docet S. Lucas de Simeone sene hæc subnectens verba. *Homo iste iustus & timoratus, & spiritus sanctus erat in eo. Et erat Anna Prophetissa, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem, & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non di-* Luc. 2.

sedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Simeon dicitur fuisse iustus & timoratus, & propterea viso nato Christo magna S. Spiritus dulcedine & consolatione repletus, ergo iniquus, peccator, seditiosus, gulosus, inuidus, auarus, pertinax, ebriosus nullam recipient à Christo Domino vtilitatem. Anna quoque in templo orationibus ad Deum fundendis semper addicta, diuinisque officiis intenta manebat, ergo illa quæ per plateas vagatur, & de fenestris otiosa, iuuenes & aulicos nequissimo oculo speculatur, nihil in natiuitate Christi lucratur. Clamat Isaias. 56. *Custodite iudicium & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea vt veniat.* Ioann. 2. *Omnis qui facit iustitiam ex Deo est.* Qui caste & pie viuunt, sunt tabernaculum Spiritus Sancti. Omnem ergo mouete lapidem, vt recipiatis Christum natum in corda vestra, expulsa inde omni superbia, nequitia, & auaritia, & introducta humilitate, sanctitate & castitate, & cum tale tabernaculum Christo in cordibus vestris feceritis veniet ille, & mansionem apud vos faciet, & cum defeceritis recipiet vos in tabernacula sua. Fiat fiat.

AMEN.

Nulla fæmina vaga, aliquam ex natiuitate Christi capit vtilitatem.

ORA-

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica I. post Epiphaniam.

CHristum remansisse in templo, multas ob causas, maxime tamen propter hanc, vt homines à bacchanaliis reuocaret, & exemplo suo ad templa visitanda adduceret.

Summa Concionis.

Remansit puer Iesus in Hierusalem, & cognouerunt parentes eius. Lucæ 2.

REX Antiochus superbia supra modum elatus, decreuerat in animo suo, gentem Iudaicā ad cultum Idololatriæ, omni via, & modo inducere, inuenti sunt multi qui illi manus vltra dederunt impiis eius conatibus resistere recusantes, & fortassis omnes illius erroris caligo facile obumbrasset, si Dominus non excisset ad defendendum honorem suum, quendam virum nomine Mathathiam, qui virum quem Rex miserat, vt cogeret immolare, occidit, & aram destruxit. *Et exclamauit voce magna in ciuitate dicens. Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum exeat post me &c. Tunc descenderunt multi quærentes iudicium, & iustitiam in desertum &c.* Hoc toto tempore Bacchanaliorum impius Rex supra omnes filos superbiæ, omnes hominum status ad illicita quæque nititur inducere, & (proh dolor) inueniuntur multi, qui eius peruer-

Machab. 1. cap. 2.

Diabolus est Rex supra omnes filios superbiæ.

sæ &

ſæ & iniquæ voluntati morem gerunt, omnibus quæ perſuadet aſſentientes. Ne igitur omnes ſemitas eius teneatis, & omni luxuriæ habenas laxetis proponitur vobis exemplum, Chriſti Domini, in templo remanentis, vt ſequamini veſtigia eius. Olim Alexander cum milites eius aſperum montis verticē, eò quod difficilis ad eum aditus eſſet, conſcendere recuſarent, ipſe ſolus montem conſcendit, & cum amici Regem iam ad verticem montis appropinquātem intuerentur, viam eandem arripuere, quos omnis exercitus ſecutus montem facili negotio ſuperauerunt. Multi hoc tempore templa adire, diuinis officiis attendere, concioni audiendæ adeſſe, graue exiſtimant, & ſuis humeris onus intolerabile portandum conqueruntur, idcirco Chriſtus in templo proponitur imitandus, vt exemplo eius, ab omnibus illicitis abſtineatis. Sed potius Baccho contempto diuinis officiis attendatis.

Chriſtus in templo manet, vt omnes ad tēplū conuocet.

AVE MARIA.

NEminem id præterire exiſtimo Chriſtum Dominum, Ducis officio functum fuiſſe, cum inter homines mortali ſubiaceret vitæ. Id enim manifeſte diuinarum literarum monumenta teſtantur. Iſa. 55. *Ecce teſtem in populis dedi eum, Ducem ac præceptorem gentibus.* Mat. 2. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux. qui regat populum meum Iſrael.* Igitur quidquid Dux militibus ſuis obſeruandum exemplo, ſeu etiam verbo inculcat, illud exercitus ſtrenue abſq; mora executioni mandare tenetur. Chriſtus Dominus Dux noſter, in ipſo iuuentutis flore, cum po-

Ducis milites tenentur obedire & eius exemplū ſequi.

cum potissimum otiositati iuuentus indulget, tẽplum Dei ingreditur, omnibusque postpositis toto pectore diuinis officiis incumbit. Nos igitur qui sub eius vexillo, & eius auspiciis militamus, sequamur Ducem nostrum. Dux noster in Ecclesia diuinis officiis occupatur, vos in tabernis poculis exhauriendis & choreis ducendis detineri vos patiemini? *Arca Dei* inquit *Vrias, & Israel & Iuda, habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea, per salutem tuam, & per salutem animæ meæ, non faciam rem hanc.* Hoc modo vobis circuienti diabolo, & persuadenti, vt hoc tempore in domibus vestris maneatis, genio indulgeatis, voluptatibus diffluatis, respõdendum est. Dux noster Christus IESVS in Ecclesia remanet, nos milites eius per tabernas discurrere, non esse rationi consentaneum, nemo ignorat. Dux noster diuinis attentum animum implicat officiis, ergo iustum est, vt iisdẽ, & nos corda nostra consecrare studeamus. Dux noster imbuendis salutari doctrina, hominum ingeniis inuigilat. Nos iocis, comessationibus, epulis exemplo eius prorsus renunciamus. *Dixit Rex Dauid ad Ethai Gethæum. Cur venis nobiscum reuertere, & habita cum Rege. &c. Et respondit Ethai Regi dicens. Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex, quoniam in quocunq; loco fueris domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Decet enim, vt seruus fidelis semper & vbique locorum adhæreat, lateri Domini sui. Extat historia memorabilis, de Sanseuerino Principe, in regno Neapolitano. Is cum ad mõtem Sinai proficisci vellet, incidit in Idumæa in equitatum Arabum latrunculorum, cumque nullum auxilium aut

2, Reg. 11.

2, Reg. c. 15.

consilium nosset, descendens de equo, mox iussit apparari mensam, promi vasa, cibum & potum, & assidere reliquos ad mensam. Equitibus propius accedentibus interpretem indicare iussit, videri illos sibi homines militares, se quoque esse militem, eaque de causa suscepisse hanc profectionem, vt qualenam genus militiæ in terris illis esset, cognoscere posset, rogat præterea, vt de equis descendant, & secum prandeant. Equidem isti admiratione humanitatis, & virtutis capti, morem gerunt Sanseuerino, prandent, colloquuntur de rebus militaribus, & formis stratagematum & bellorum. A prandio iubet Princeps promi munera, bombardas, gladios & pocula, quæ inter eos distribuit, atque ita incolumis discedit. Arabes illi cum maiori turba reuertuntur, & Sanseuerinum captiuum cum suis abducunt, & in arce quadam honorifice & liberaliter excipiunt, & tractant, & post aliquot dies saluum & incolumem, cum toto comitatu deducunt, præbentque se defensores, & monstratores viæ. Multi hoc tempore more latronum, & quasi effuso cursu, ad omnia vitiorum genera perpetranda properare videntur, quibus vt aliqua impedimenta obiiciat Christus, proponit in Ecclesia mensam ferculis diuinæ sapientiæ, & subtilissimæ disputationis refertam, rogatque vt potius secum in Ecclesia diuini verbi solido cibo repleri, quam more malorum per tabernas vagari, & panem mendacii desiderare velint, vtinam omnes descendant de equis, nolintque esse, sicut mulus & equus, quibus non est intellectus, & mensæ Christi potius quam mensæ dæmoniorum accumbant. Olim duces variis stratagematum generibus milites ad forti-

Virtus, etiã apud hostes & barbaros in admiratione est.

fortiter pugnandum inducere conati ſunt, at nullus efficacius quam ille qui primus in hoſtem irruit. Non erit auribus veſtris, vt opinor moleſtum, ſi id quod dixi exemplis pulcherrimis illuſtrare voluero. Annibal cum Romanis ad cannas congreſſurus, paulo ante pugnam, cum aſcendiſſet tumulum paulo editiorem, é quo & multitudinem intuerentur Romanorum & ordines, cuippe illi aſtabat Giſcō, qui quaſi obſtupefactus, cum dixiſſet, mirari tantam ſe multitudinē: tum ipſe, qui obſtupefactum illum de numero intelligeret, ne qui adeſſent ſimili terrore caperentur, conuerſus ad eum, contracta admodum frōte: quanto magis inquit mirum tibi videatur Giſcon, illud ſi cogitaueris, in tanta illa hominum multitudine, qui Giſcon appelletur omnino eſſe neminem. Quod dictum cum ſtatim inter acies emanaſſet, ad riſumque conuerterentur omnes, eam vim habuit, vt ſinguli exiſtimarent iis dictis propterea iocari Annibalem, quod de Romano exercitu putaret iam actum. Effecit igitur maximé cautus Imperator ac prudens ex hoc dicto, milites ad capeſſendam pugnam, tum promptiores detractato metu, tum de victoria pene certos, qui viderent tanto in diſcrimine Imperatorem ſuum iocari. Sunt alia quam plurima Ducum ſtratagemata, quibus illi ad concitandos in pugnam milites vſi fuiſſe memorantur, quæ de induſtria ne aliquod faſtidium legentibus pariam prætermittenda duxi. Hoc vt dixi plurimum valet, ad confortandos in bello milites, dum ipſe Imperator, hoſtem in acie fortiter impugnat, quemadmodum refertur de Sylla, qui copias ſuas à Mithridate repreſſas, à fuga reuocauit his verbis, omni memoria di-

Maiolus de bellorum euentibus.

gnissimis. Eia inquit, abite mei milites, ego quidem maneo, vt honestè vitam profundam: macti virtute estis, abite quo placet. At rogati dehinc, vbi Dux vester hæreat. Mementote quæso respondere, ab ipso Orcomeni relicto vos decessisse. Tantos autem stimulos omnium animis his verbis iniecit, vt à fuga pede reuocato, audentius in hostem nonnisi parta victoria irent. Non dissimilem de magno Alexandro totius orbis victore subnectam narrationem. Rex Alexander ad oppidum Oxydracarum admoueri iubet scalas, cunctantibusq; cæteris euadit in murum, ibi rem ausus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriam insignem. Namque in vrbem hostium plenam præcipiti saltu semetipsum immisit &c. Inter hæc ad Macedones Regem cecidisse perlata est fama, qui periculi omnis immemores, dolabris perfregere murum, & qua moliti erant aditum irrupere in vrbem. Indosque plures fugientes, quam congredi ausos ceciderunt, non senibus, non fæminis, non infantibus parcitur. Causa tantæ fortitudinis militum, non alia nisi fortissimi Regis exemplum, qui illis cunctantibus primus mænia conscendit. nam author subiicit. Nec subire milites poterant, quia superne vi telorum obruebantur. Tandem magnitudinem periculi pudor vicit, quippe cernebant cunctatione sua dedi hostibus Regem; Igitur Alexander, volens milites intra mœnia ciuitatis inducere, primus de mœnibus saltu se demisit, quem cum iam in ciuitate hostium esse fama diuulgaret, absque mora milites Regem sequi conabantur. Rex noster Christus Dominus, volens Christianos in Ecclesia diuino cultui incumbere, re-

Vide Curtiū lib. 9. pag. 315.

Ad exemplū Regis totus componitur orbis.

re, re-

re, remanſit ipſe in templo, ne vos milites eius maneatis in tabernis, remanſit inter doctores, ne vos ſedeatis inter latrones, remanſit ad inſtituendas diſputationes, vt afferatis de ore veſtro vanas, obtrectatorias, laſciuas collocutiones, remanſit immemor materni doloris, vt vos exemplo eius, etiam cum offenſa ſociorum ad templum veniatis, remanſit in paupertate, vt vos auocaret à voluptate. Non igitur decet ſub capite afflicto, molliter & delicatè viuere membra, nec Duce poſito in anguſtiis, milites vano gaudio diffluere, & hæc eſt prima cauſa propter quam remanſit in templo puer IESVS. *Altera cauſa hæc eſt.* Vt exemplo ſuo inſinuaret, à teneris annis diuino cultui mancipandos eſſe homines, iuxta doctrinam Eccl: 11. *In bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ.* & 12. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.* Iuſtum autem eſt, & æquitati correſpondens, florem iuuentutis, nulli alteri, niſi Domino Deo conſecrandum, decet enim iure diuino id hominibus inculcãte, primitias ſoli Deo, offerendas. Exo. 22. *Decimas & primitias tuas non tardabis reddere, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.* Hier. 2. *Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugum eius.* Quemadmodum vernum tempus hominibus periucundum eſt, illudque adueniens magna omnes cum lætitia excipiunt, & eo durante in campos, & viridantia prata è domibus egrediuntur, conuiuia, cænaſque ſplendidiſſimas celebrant, cantilenas iucundas & ſuaues reſonanti promunt ore, omnis lætitiæ ſigna poſt ſe relinquentes; nec mirum, hoc enim tẽpore, omnia mirum in modum renouantur, prodeunt flores ſuauiſſimum odorem ſpirantes, producit terra viridantia gramina, arbores quoque pulcher-

A iuuentute Deo ſeruiendum. Eccl. 11. & 12.

Vernum tempus per quã iucundum cunctis.

rima induunt folia, at in æstate propter nimium solis ardorem vmbrosas quærunt homines latebras, in autumno verò propter molestiam aduenientis frigoris, clauduntur in domibus. Simili ratione iuuentus Deo Omnipotenti gratissima, tunc enim ad viridantes virtutum flores fæliciter producendos anima est flexibilis, tunc ad plantandos cœlestium bonorum palmites, tempus aptum & idoneum, sed in virili ætate, ardor libidinis feruescit, in senectute, omne ad bonum, desiderium tepescit, & quasi euanescit. Can. 2. dicit sponsa. *En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, iam enim hyems transiit imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Sed & hoc cunctis in aperto est Patremfamilias ad labores in vinea sua subeundos, quærere operarios impigros, ætate tenera & viribus fortissimis abundantes, illos vero quos senectus languidos & debiles reddidit, tanquam ad laborandum minus idoneos omnino respuere. Quodsi etiam quæsieris ex virgine ad matrimonium contrahendum, per ætatem idonea senemne, an virum ætate iuuenili florentem, eligendum velit, cui nubat, absque mora, sene abiecto, iuueni se in matrimonium dandam poposcit. Imperator quoque militem in flore ætatis, & in virtute magnarum virium, sese gloriantem, in castra euocat, decrepitum verò, sub vexillo militantem raro spectamus. Sic & Deus Omnipotens, in sua castra à teneris annis conuocat milites, vt ab infantia spirituali asuescant militiæ, quos ille maximis gratiarum suarum stipendiis cumulare non desinit. Anna adduxit Samuelem

Iuuentus quasi ver.

Paterfamilias operarios eligit iuuenes ad laborandum prõptos.

Milites senio confecti raro visi in castris fortiter pugnantes.

muelem postquam ablactauerat eum ad domum Domini in Silo: gratum Deo sacrificium, nam puer Samuel proficiebat, & crescebat, placebatq; tam Deo quam hominibus, & cognouit Israel, quod Samuel fidelis Propheta Domini esset. Ioseph quoque Patriarcha in ætate iuuenili acerrimus diuinorum mandatorum custos, & abhorrens ab omni malitia, prorex totius Æypti constituitur. Sed & Daniel adhuc puer proposuit in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius, creuit igitur in magnum Prophetam Domini, & in reuelatorem mysteriorum Dei. O quam ergo bonum est viro, cum à iuuentute sua portauerit iugum Domini. *Tertia ratio hæc est.* Remansit puer IESVS in templo, nescia matre sua, haud ignarus matrem dilectissimam, magnam inde tristitiam habituram, nobis vtiq; exemplo prælucés, vt dum vocem Domini nos in vineā suam pertrahentem audimus, non obduremus corda nostra, sed extemplo surgentes vocantem sequamur, non obstante matris ploratu, nec afflicti Patris fletu, nec propinquorum mærore ac dolore, sed si aliquando opus fuerit, etiam per calcatum Patrem & matrem transeundum. Id enim à nobis exquirit Christus Dominus. Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam non potest esse meus discipulus.* Legitur exemplum. 2. Mach. 2. nostræ rei fauentissimum in hæc verba. *Eleazarus vnus de Primoribus scribarum vir ætate prouectus, & de vultu decorus aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare &c. Hi autem qui astabant iniqua commiseratione commoti propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant, afferri carnes quibus ei vesci licebat, vt simularetur manducasse.*

1. Reg. c. 1

Dan. 1.

ducasse. &c. Respondit etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis, nec viuus, nec mortuus effugiam. Simile responsum dandum est illis, qui vocatis in vineam Domini se se impedimento opponunt, & ne iugo Domini portando collum subiiciant vehementer dissuadent, parentibus quidem inde dolorem, familiæ ignonimiam, propinquis maximam tristitiam exorturã crocitantes. Iustum enim est, vt à Deo vocati, nullum non abiiciamus lapidem nobis in via Domini currentibus, ad offendendum pedem nostrum positum, quippe nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, at parentibus inuitis, & propinquis reclamantibus, Christum sequi, bellum esse fortissimum victoriamque difficilem verbis Christi Domini sic dicentis docemur. Matth. 10. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Adhæc qui pluris æstimat pannum quam sericum, plumbum quam aurum, facile conuincitur indignus esse serico & auro. Pari modo, cui magis cordi est, Pater carnalis, quam Pater noster, qui est in cœlis, talis indignus iure meritò censetur, vt vocetur, & sit, filius Dei. Nam, *qui amat Patrem, aut*
Matt. 10. *matrem, plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Præterea Dei præceptum est. Diliges Dominum Deum totum, ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, ille verò qui propinquos diligendo auocatur à diuino officio, partem præcipuam cordis offert amicis, sine dubio præuaricator diuini præcepti non intrabit in vitam æternam. Eccl. 2. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt*

vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Quid facietis cum inspicere cœperit Deus. Quarta causa hæc est. Vt insinuaret hominibus si aliquando peccando Christum perdiderint, omni studio in Ecclesia requirendum studeant. Can. 3. *In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni.* nam non in lectulo molli, sed in templo quærendus est perditus á nobis Dominus IESVS. *Quinta* ab ipso Christo Domino prolata est. *In his* inquit *quæ sunt Patris mei, oportet me esse.* Docet te Christiane, vt occuperis in his quæ sunt Patris tui, illis omnibus abiectis quæ sunt mundi, carnis, & Diaboli: si vis appellari seruus Dei, & á Deo laboris tui mercedem tibi exhibendam desideras, fac ea quæ Dei sunt, nam verus Dei seruus iure merito appellaberis, si in procuratione negotiorum diuinorum versaberis. Quæ conuentio lucis ad tenebras? Si te Dei seruum nominas, cur nō in luce sanctitatis ambulas, sed in tenebroso peccatorum lacu habitas? Si es seruus Dei, cur in spiritualibus castris nō militas, sed te potius retibus Diaboli ad infernum trahi pateris? Si es seruus Christi, quare ad mensam Domini tui non ades. Sed mauis micas voluptatum carnalium sub mensa dæmonis colligere? Si es seruus Christi, fac in omnibus voluntatem eius, prodeas in aciem sub vexillo eius, indue armaturam eius, si es seruus Christi, mane in domo eius, labora in vinea eius, esto fortis miles in arce eius. Si es seruus Christi, ambula sicut Christus, orationibus incumbe sicut Christus, esto misericors sicut Christus. Si es seruus Christi, sequere Christum, audi Christum, dilige Christum. Si es seruus Christi Regis supremi, non te permittas trahi in seruitutem diaboli. Si es seruus Christi, sis ad e-

Christus in templo inter Doctores quærendus.

xemplum eius patiẽs in perſecutione, feruens in deuotione, humilis in actione, celer & velox in aſſequenda perfectione. Si es ſeruus Chriſti: ſis pulcher & iucundus in caſtitate, aſſiduus & vigilans in pietate, feruens in charitate. Si es ſeruus Chriſti, habeas in corde Chriſtum, loquere in ore Chriſtum, oſtende in operibus Chriſtum. Si es ſeruus Chriſti, fac opera Chriſti. Humilitas eſt opus Chriſti, ſuperbia opus diaboli. Diſce ergo à Chriſto, quia mitis eſt & humilis corde, fuge Diabolum, cuius arrogantia eſt deteſtabilis Deo, Chriſti eſt opus pietas & vitæ ſanctitas, Diaboli malitia, & iniquitas. Diſce in Chriſto piè & ſanctè viuere, & caueas aliquando in conſpectu Dei viuentis peccare. Chriſti opus eſt in Eccleſiis diuinis officiis attẽdere, Diaboli in tabernis, poculis exſiccandis incumbere. Diſce bonum eſſe Domino in Eccleſia adhærere, quã inter pocula inſanire. Quod ſi feceris, verba Chriſti illa audies. Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. Cui ſit laus, honor, gloria ſine fine.
AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Et ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolenni Paſchæ. Luc. 2.

Homo

HOmo Christianus ita debet procedere cum anima sua, sicut mater cum filio procedere consueuit: idq; pulcherrimis antiquitatibus illustratur. *Summa Concionis.*

SApiens postquam ea, quæ ad sapientiam & moderationem comparãdam pertinent describit, peregrinationem non in postremis adiungit. *In terram* inquit *alienarum gentium pertransiet, bona enim & mala in omnibus tentabit.* Hinc summo laudis genere decoratur Mithridates Rex Ponti. Is etenim Asiam cum nonnullis amicis tacitus à regno profectus, nemine sciente, peruagatus est, omniumque vrbium situs ac regiones cognouit. Quo quidem peregrinandi studio effecit, vt omnium pene linguarum peritiam assecutus sit, adeo vt duabus & viginti nationibus, quibus imperabat, sua cuique lingua ius dicere solitus fuerit, & pro concione singulas sine interprete affari: quod quidem nisi omnes in eo Historici consentirent, alienum à verò videretur. Addo ego. Omnes peregrinationes esse quidem perutiles iuuenibus magnamq; prudentiam atque rerum experientiam afferre potissimum illis, qui aliis præfuturi sint, maximè tamen ad loca diuinis miraculis illustrata, in quibus summa in diuinis laudibus celebrandis diligentia viget, hæc enim hominem ad Deo firmiter adhærendum, (quæ est summa sapientia) vehementer accendit. Quod vt Christus Dominus exemplo suo comprobaret, peregrinationem ad templum Salomonis suscepit, effectus peregrinationis in se ipso demonstrans, quorum alter fuit; spretis omnibus, & parentibus derelictis solius Dei laudibus incumbere, alter verò cum Doctoribus de rebus diuino cul-

Eccle. 39.

Plutarchus lib. 10.

tui seruientibus sermonem instituere, quod vtrumq; Christum fecisse in aperto est. Et fortassis iustum esset pro nunc de his peregrinationibus verba facere at diuersi flauere venti, & ad hunc portum nauem directam alio diuertendam coegere. Concionis igitur huius scopus iste est. Christiano cum anima sicut matri cum filio procedendum esse.

AVE MARIA.

MAtris illud esse officium, filium quem ex se genuit competenti educatione nutriendum esse. Olim Hyberni cultu indomito, & fero pueros ita alere & educare assuescebant, vt inter arma & cædes versarentur assidue, matresq; natura immites, ingenio barbaro, primos cibos edito infanti gladio admouerent. Hic modus Christianis tenendus, animæque eorum nõ ad delicias & voluptates, sed ad bella cum hostib⁹ spiritualibus fortiter gerenda assuescẽdæ, non suauibus ferculis, nec mollibus vestimentis fouendæ, sed duris ciliciis, & ieiuniis nutriendæ, quippe militia est vita hominis super terram, ad quã fortiter ineundam, vt animæ nostræ summo impetu ferantur, sunt homini dura educatione tractandæ. Hinc Spartani Lycurgi legibus infantes primum editos, vt labore firmentur, ridigissima aqua fouere, nudosque in patientia laboris enutrire, nihilque somni causa sternere proditum est. A Cratensibus etiam vsurpatum fuit, vt pueri ab ineunte adolescentia, calores & frigora pati assuescerent, vtque vilibus tecti amiculis, hyeme pariter atque æstu, eodem cultu incederent, & postquam satis virium assecuti videbãtur.

Alexãder ab Alex. harũ antiquitatũ author.

Multi Ethnici pueros seuero cultu educabant, & ita oportet fieri.

tur, vt militiæ patientes per ætatem forent, non in munditiis ne langueret animus, ſed in laborioſis exercitationibus currendo, iaculando, equitando occupabantur. Similiter. *Qui odit animam ſuam in hoc mũdo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Anguſta eſt porta, quæ ducit ad cœlum?non illuc peruenitur per delicias nõ per voluptates, ſed per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. *Manifeſta enim ſũt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immũdicitia, impudicitia, luxuria, veneficia. &c. ebrietates, cõmeſſationes, & his ſimilia quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniã qui talia agunt regnũ Dei non conſequentur.* Gal. 5. ſed potius dicetur illis, quantum glorificaſtis vos, & in deliciis fuiſtis, tantum habete luctum & tormentum. Igitur *exhibeatis vos metipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate: &c,* 2. Cor. 6. Nam iuxta eſt Dominus, his qui tribulato ſunt corde, & ſecundum multitudinem dolorum veſtrorum, lætificabunt conſolationes Dei animas veſtras. Fuit Lacedæmoniorum mos ſolennis, vt aggreſtes quàm maximè poſſent vino ingurgitent, ad potumque & crapulam appellent, illoſque vino madidos & diſtentos in cætum adoleſcentum iuuenum introducant, vt temulentiæ turpitudinem intuentes, à vino & luxu promptius abſtineant. Idem Chriſtiano homini faciendum, qui ſi à peccato animam auocare voluerit. ponat ſibi ob oculos conditionem malorum, & intueatur eos eſſe ſordidos Deo & hominibus moleſtos, timidos, infælices, miſeros, ſeruos & mancipia diaboli, vaſa iræ æternis conterenda malleis: quod ſi etiam ex virtute in virtutem procedere ſtuduerit, e-

Lacedæmonienſes ebrioſum hominem inducebant inter iuuenes.

Cur. lib. 3. De orat.

xemplis bonorum ad id efficiendum ſubnixus progrediatur. Nam vt ait Cicero duo nos maxime mouent. Similitudo & exemplum. Cur autem plus exemplis quam verbis homines, ſiue ad bonum, ſiue ad malum moueatur. cauſam hanc reddit Seneca, quia homines plus oculis credunt, quam auribus. Scribit Thom. Cantipr. fuiſſe quendam Presbyterum Guidonem nuncupatum, de quo certiſſime ferebatur, quod cum in Schonegio Hannoniæ oppido ſcholas regeret adoleſcens, incautè ſemel fæminam contemplatus per annos tres, etiam ipſa mortua, in tantum tentatus eſt, vt excepto eo quod vigilans ſuſtinebat, omni nocte in ſomnis crederet eſſe præſentē. Sentiens ergo diabolum circa ſe non ceſſare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, nareſq; & faciem in cæno putrefacti corporis tam diu tenuit, vt prorſus fœtore nimio ſuffocatus, quaſi mortuus caderet reſupinus. Quæ res intantum valuit ſancto viro, vt nullum poſtea ſtimulum in carne ſentiret. Vis eſſe Chriſtiane immunis & liber (exempli gratia) à vitio luxuriæ fac quod iſte Presbyter ſanctus fecit, pone tibi ob oculos hominem huic vitio addictum. Vides ne illum ſordibus infamiæ & ignominiæ apud homines notatum, fædiſſima libidine pollutum, morbo gallico deturpatum? Videſne vermē in eius conſcientia latitantem? alioſque peſſimos bufones, & ſerpentes venenoſos turpiſſimarum cogitationum à capite in pectus, à pectore ad caput aſcendere? Hoc ſi cognoueris, ſubito tanto malo perterritus facile, ab hoc ſcelere abhorrebis. Cambyſes Rex in ſede vbi iudex per ſcelus iniuſtè iudicarat ipſius detractum corium in lora concidit, filiumque

De proprietatib. Apū. lib. 2. 30.

eius iudicem constituit. vt memor pœnæ paternæ à peruersis & iniustis iudiciis abstineret. Non solum autem ad mala euitanda, sed etiam ad bona appetenda, exempla plurimum prodesse neminem præterire existimo, & hoc duobus tantum exemplis, vt cætera omittam doceri poteritis. Vnum habes in Augustino ex relatione Potitiani de duobus Imperatoris aulicis, qui cum extra vrbem Treuirorum, forte incidissent in casam quandam eremiticam, ibique codicem, in quo scripta erat vita S. Antonii, perlegissent, sic ambo accensi sunt, sectandæ illius vitæ desiderio, vt relicta militia sæculari se extemplo diuino seruitio consecrarint. Et ambo inquit Augustinus habebant sponsas, quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem Deo. Alterum est B. P. Ignatii Societatis IESV Fundatoris, qui olim cum militiæ sæculari deditus, lectoque ob læsum grauiter pedem affixus, codicem sibi aliquem porrigi, fallendi temporis ergo, postulasset, nec alius ad manum esset, nisi qui vitam Christi & Sanctorum contineret, lectione illa sensim ita immutatus est, vt abiectis armis, mundoque contempto totum se Diuino cultui manciparit, ac tandem viros doctissimos propositi sui sectatores sibi adiunxerit, ac religionem Societatis IESV condiderit. Augustinus sane diserte fatetur in octauo confessionum libro, se conuersione Victorini doctissimi senis, & omnium doctrinarum liberalium peritissimi, quam illi narrauerat Simplicianus, ad suam conuersionem permotum. *Vbi* inquit *homo tuus Simplicianus de Victorino ista narrauit exarsi ad imitandum. Ad hoc enim & ille narrauerat.* Et cum postea graui lucta carnis & spiritus excruciaretur, dubitaretq; , num castita-

S. August: lib: 8. Confess: cap: 6.

Duo milites lectione sacra conuersi sunt.

B. Ignatius exemplis Sanctorum magnã sanctitatem adeptus est.

S. Augustinus ad virtutem exemplis incitatus.

August: lib: 8 Conf: cap. 2. & 5.

castitatem seruare posset, rursus exemplorum præsidio hanc tentationem discussit. *Aperiebantur inquiens ab ea parte qua intenderam faciem casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honeste blandiens vt venirem: neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ & virgines Anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret. Tu non poteris quod isti & istæ?* Magnus igitur fructus vel ex vnius hominis pii & sancti exemplo in hominum corda profluit. Apud Gallos & Iberos Zonæ mensuram habent magistratus, quam si capere non posset mulier succi plena aut puer obesus magno afficitur probro. Attendite. Isa: 11. *Iustitia cingulũ lumborum eius.* Iustitiæ autem est, reddere vnicuiq; quod suum est, cui honor; honor; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; qui igitur animam suam quolibet tempore vespertino vocauerit in iudicium, & viderit se, terminum bonorum Propositorum mane sibi præfixum, transgressum esse, confundatur in conspectu Domini, doleat de præteritis & caueat de futuris, si peccauit gula, compenset parsimonia & inedia, si luxuria castitate, si auaritia liberalitate. &c. Tenet fama apud Baleares, matres suos infantes, ab ipsis in cunabulis his disciplinis assuefacere, vt nisi oblatum cibum baculo aut funda petierint prius, cibo vesci prohibeant. Sic & tu o Christiane cum anima procede tua, nisi illa prius in cœlum proiecerit fundam orationis, & non primum quæsierit regnum Dei, ab omni cibo & potu arceatur. Prius enim semper iacula orationum, & sagittæ suspi-

Pulchra antiquitas.

tæ suspirantium in cœlum emittendæ. quam manus labori, & os cibis sumendis admouendum esse, docemur. Ægyptii filios apud se alitos & educatos, his disciplinis exercere solebant, vt nisi centum octoginta stadia prius confecerint cursu, vesci cibo nullo modo sinerent, quos à pueritia nudis pedibus ingredi iubebant, ne delicatior cultus corpora emolliret. 1. Cor: 9. *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. sic currite vt comprehendatis, omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Tandem produnt, Æthiopes, editos pueros cum paululum pocessere, super aues quas diuersi generis educant, sublimes imponere. Quod si volantes intrepidi manent, velut generosos & se dignos magna educant cura, si verò consternantur animo, & trepidi manent tanquam degeneres, in loca deserta exponunt & abiiciunt. Aues quibus animæ Christianorum ad volandum imponendæ sunt, diuinas contemplationes voco, quarum vi ad altissima siderum cacumina mens nostra eleuatur. Contemplatio enim nihil aliud est, nisi diuinitatis & eorum quæ ad eandem referuntur, affectuosa, prompta, atque sincera cognitio & consideratio. Nec debemus existimare quod anima secundum substantiam deserit proprium corpus, cum in contemplatione rapitur secundum communem cursum: sed pro tunc dicitur esse, vbi fuerit cor & amor eius. Secundum enim B. Augustinum Anima verius est vbi amat, quam vbi animat, id est, quàm in corpore quod viuificat. Dico igitur quod talis animæ deuotæ eleuatio extra mundum, & supra ista corporalia vsque ad seipsam, vel

Pueri super impositi auibus, volant per aera.

Contemplatio est quædam cœlestis auis animã à terrenis eleuans, & multa de illa ex occasione dicuntur.

vſque ad Angelos, vel certe vſque ad Creatorem ſuum, quia altius non poteſt aſcendere, fit per fortem & ſanctam meditationem, vel per ardentem amorem, ſicut per aues altiſſime volantes. Itaque talis fortis & ſancta meditatio, vel amoris ardor, virtute eſt tam potens, vt faciat eam obliuiſci, & ceſſare ab aliis orationibus & phantaſiis, ac ſi eſſet in perfecta quiete, & in quodam dulci ſopore. Oportet quoque vt anima in tali meditatione totaliter ſit occupata, & amore feruenti, neque ſit ei cura pro tunc de quacunque alia re, neque ad alia reſpiciat, ſed fortiter & immobilis in contemplanda diuinitate permaneat. Legitur de quodam Philoſopho nomine Archimede, in Geometricis peritiſſimo, quod decreuit imaginando facere ſubtilia inſtrumenta, ad expugnandum, defendendum & capiendum vrbes, & cum vrbem quam prædictus Philoſophus incolebat, ab hoſtibus capi contingeret, iuſſit Dux exercitus, ne prænominatus Philoſophus necaretur: & cum caſu quidam ad eum intraſſet, & in illis vehementibus imaginationibus occupatum reperiret, interrogauit eum quod eſſet eius nomen: ille verò manens fixus & intentus in ſuis imaginationibus, neſciebat neque attendebat quid ab eo quæreret: niſi quod innuebat ei, ne ſe impediret, nihil aliud reſpondens, vnde & vitam perdidit. Ecce quam attenta erat iſtius cogitatio, vt eius virtute, neque inuaſionem propriæ vrbis, neque hoſtem qui eum occideret, agnouerit. Alius quoq; Philoſophus nomine Carneades ſæpe ad mēſam ſedens obliuiſcebatur ſumere cibum, & oportebat ne inedia periret, vt quædam eius ancilla ſibi victum capiendum ſubminiſtraret, de quo

Archimedes Philoſophus adeo contemplationi intentus fuiſſe perhibetur, vt cum occideretur, nō ſentiret hoſtem.

Valerius

Valerius quod prædiximus recitans dicit, eum solum propter animam vixisse, & corpore veluti re extera & inutili fuisse circumseptum, ó quanto magis oportet Christianos vti spiritualibus meditationibus, & habere cogitationes altiores, & magis extraneas in solô Deo inhærentes. *Aliud est* quod bona mater erga filios præstare tenetur, vt eos timere Deum, eumq; summo amore prosequi, & ab omni peccato abhorrere doceat & instruat, Quod effecisse matrem illam 2. Mach. cap. 7. in manifesto est, exéplum certè cunctis matribus ad imitandum pulcherrimum, hoc modo erudienda est anima Christiana, & potius morti succumbendum quam eam peste mortalis peccati inficiendam permittere. Exemplo adest Susanna Dan. 13. *Quæ ingemuit & ait: Angustiæ sunt mihi vndiq;. si enim hoc egero mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras, sed melius est mihi absq; opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini.* Ludouicus nonus Rex Gallorum, ab ineunte ætate ex institutione piæ matris Blanchæ, hoc persuasum habuit, potius mortem oppetere, quam in peccatum lethale consentire. S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi hæc vox erat. Malo insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum vllum, sciens admittere in Deum meum. S. Anselmus item dicere solebat: si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem & necessario vni eorum immergi deberem, prius infernum quam peccatum appeterem. Democles inquit Plutarchus, puer formosus lauandi corporis causa ingressus erat solus priuatum balneum. Hoc vbi Rex Demetrius deprehendit forma eius captus locum clanculum adiit, vt eo abuteretur. Democles

Dan. 13.

Surius in eius vita.

Surius in eius vita.

Plutarchus in vita Demetrii.

autem horrens lapsum, cum nullum pateret effugium detracto aheni quod ibi erat operculo in aquã feruentem nudus insiliit: facinus dignum patria, dignum forma, dignum pudicitia perpetrans. Quid mirabilius quam tanti Principis promissis & blandiciis puerum nõ cedere, vt pudicitiam læderet? Similiter & vos ô Christiani dicatis cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an nuditas, an periculum, an fames, an persecutio, an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Reliquum est, quod mater erga filium exhibere tenetur. vt si eum perdiderit summo cum dolore & labore requirat eum vbique locorum, & requisitum in domum propriam introducat. *Dolentes* inquit B. V. M. *quærebamus te.* Mater Tobiæ iunioris cum longo temporis interuallo filius eius à peregrinatione suscepta non reuerteretur: *Flebat irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu, heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ.* Quis dignè B. V. M. dolorem ex perditione filii conceptum poterit exprimere? quo enim maior erga rem amatam dilectio, eò vehementior ex eius amissione oritur afflictio, & quoniam supra omnia B. V. M. filium suum diligebat, perditum sine dubio maximo cum dolore requirebat. Loquebatur in corde suo pia mater: Vbi es fili mi? fili mi vbi es? dilecte mi vbi es? quid tibi displicuit in me matre tua, aut in quo molesta fui tibi indica mihi? quare me fili mi deseruisti? heu me, gaudium meum, lætitiam

[Margin: Rom: 8.]

[Margin: Tobiæ 10.]

[Margin: *Virginis Beatissimæ dolorem ex perditione filii nemo exprimere valet.*]

lætitiam meam lumen oculorum meorum perdidi, quid faciam? quo me conferam? aut quibus verbis filii mei abſentiam defleam? ſi domum reuerti voluero, & ibi filium meum abeſſe perſpexero ô quanti ſubito ex eius abſentia ſuperuenient in me dolores? Nam cum videro menſam ad quam cibum ſumebat, lectum in quo requieſcebat, ſellam in qua ſedere ſolitus erat, vehementiſſimus inde mihi orietur dolor. Ergo vadam & quæram dilectum meum rubicundum, & totum candidum. Vbi es dilecte mi mea tota voluptas, meæ deliciæ, meum vnicum ſolatium. Quare ô ſol cœleſtis radios tuos lucentes à me auertiſti? Quare ô fons viuentium aquarum riuos conſolationis in me defluentes retinuiſti? Quare flos iucundiſſime odorem tuum ſuauiſſimum abſcondiſti. Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Quis mihi hoc dabit, vt inueniam dilectum meum, & introducam in domum meam. Hæc & alia his ſimilia pia mens meditari poteſt. Simili ratione cum te Chriſtiane per peccatum mortale animam tuã perdidiſſe cognoueris, ſurge diluculo, quære eam cum lacrymis, & ſummo dolore, fletu, & planctu, & hos lamentationis threnos decãta in corde tuo vehementi dolore trãſfixo. Vbi es ô anima mea, Olim fuiſti in gratia Dei, nunc peccando ducta es in ſeruitutem diaboli. Olim fuiſti ſponſa agni, nunc ancilla luciperi. Olim amica Angelorum, nunc mancipium dæmonum, olim pulcherrima, nunc turpiſſima, olim ditiſſima, nunc miſerrima, olim beatiſſima, nunc infeliciſſima, olim benedicta, nunc maledicta. O quam turpis es amica mea: Vbi cubas aut quale eſt domicilium tuum,

Threni ſeu lamentationes peccatoris ex perditione animæ eius.

nuntia mihi, sed heu tuum cubile cum draconibus, & cum scorpionibus habitatio tua, Tuum domicilium plenum est serpentibus, & abundans vermibus turpissimisque bufonibus. O anima mea. Vbi es? quomodo cecidisti quæ mane oriebaris, è cœlo ad infernum, è benedictione ad maledictionem, è summa fælicitate in maximam miseriam. Quæram ergo animam meam itinere trium dierum, quæram inquam contritione, confessione, & satisfactione, & sic quæsitam introducam eam in domum genitricis meæ. Quod vt omnes promptius faciliusque faciatis, vnicum exemplum veræ pænitentis antequam orationi finem imponam, in medium proferre decreui. In Galliæ partibus tale accidit factum. Ad illum venerabilem virum Magistrum Petrum de Corboel, Senonensem Archiepiscopum, quidam peccator, qui propriam filiam violenter oppresserat confessionis gratia venit: confessus igitur in maxima & mirabili contritione & lacrymis quæsiuit, si vnquam posset vllo dolore vel pœna, à Domino veniam impetrare. Cui Præsul, ita inquit, indubitanter, si tanti mali pœnitentiam subire volueris: At ille vehementer exclamans. Volo inquit etiamsi mille mortes me sustinere volueris. Collacrymatus infelici, imo iam felicissimo peccatori. Et ego inquit septennem tantum tibi pænitentiæ pænam impono. Tunc ille quid est ait, quod pænitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantum iniungis, qui si viuerem vsque ad finem mundi, tantum facinus pænis innumerabilibus diluere non valerem? Cui Præsul: Vade inquit & tres dies tantum in pane & aqua ieiuna. Tum amplius ille plorans, & contundens se, rogabat vt pænitentiam iniungeret saluta-

Thom: Cantip: lib: 2. de vniuerso.

ſalutaré. Supra modum ergo admiratus & exhilaratus Antiſtes, tandem definitiue præcepit homini, vt abiret & vnum tantum Pater noſter diceret, ſciretq; pro certo peccatum ſibi eſſe remiſſum: nec mora dirum ille emittens eiulatum, & in terram procidens expirauit. Nec dubia fides, ſicut Deo dignus Epiſcopus poſtea prædicauit, quin idem pœnitens, ſine vlla alia purgatorii pœna validiſſima tantum contritione purgatus ad gloriam cœleſtem euolauerit. Verè iſte animam perditam inuenit, & in domum creatoris ſui introduxit, quia flendo & vehementer dolendo eam quæſiuit. Quærite & vos infæliciſſimi peccatores animas per peccata veſtra mortalia perditas, dum inueniri poſſunt, ſed vt dixi flentes & lacrymantes quærite, & procidentes in genua dicite. Peccauimus Domino, cum Patribus noſtris, iniquitatem fecimus, iniuſte egimus, parce Domine popopulo tuo. Errauit anima noſtra ſicut ouis quæ periit, quære eam nobiſcum ô Domine, ſine quo nihil poſſumus facere. Cui laus & gloria in ſæcula ſeculorum.
AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In ſecunda Dominica poſt Epiphaniam.

INuitantur homines Chriſtiani ad bonum vinum, à Chriſto exhibitum, & concio iucundiſſima, hiſtoriis variis & conceptibus pleniſſima. *Summa concionis.*

Tu

Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Ioan 2.

SCribit Leontius Episcopus de S. Ioanne eleemosinario in vita eius rem scitu dignissimam. Cum enim die quadam populum ad sacra mysteria sumenda tardiorem de socordia corrigere vellet, solenni die cum omnes peracta concione, relicto sacrificio, otiosis vacare fabulis cerneret, ipse quoq; è templo egressus vniuersæ se multitudini iunxit. Omnibus autem factum hoc in tanto Patriarcha stupentibus. Quid inquit miramini. Nescitis probum & fidelem pastorem suis ouibus adesse debere: Nam cum propter vos sacra à nobis peraguntur mysteria, si vos foris versamini, certè constat inutili nos labore fatigari. Quare statui vobis instar optimi pastoris semper adhærere, & cum egredientibus egredi, & rursus cum ingredientibus ingredi. Simile quid fecisse Christum Dominum, pastorem verè bonum liquido patet, qui præterito die Dominico templum ingredi voluit, vt oues exemplo eius, eadem tenerent vestigia: quoniam verò tam salutare exemplum pastoris, parum profuit ouibus, imo quamplurimæ relictis in Ecclesia viridantibus pratis arida conuiuiorum fercula appetiuere, adest & in conuiuio Christus. Ac si diceret. Molestum vobis est, sequi me ad Ecclesiam, sed mauultis vos conferre ad celebrāda conuiuia, sequor oues, & in conuiuio, optimum vobis vinum propinare paratus sum. Quo vino certe optimo, vos omnes in hac oratione tractare decreui. Fauorem tantummodo solitum expeto.

AVE

AVE MARIA.

HIs temporibus Bacchanaliorum, varia eaque multa vasa, plena vino abominationis, carnalitatis, fornicationis, aliarumque turpium voluptatum, deliciarumq; exhibet mundus hominibus huic sæculo seruientibus. Idem facit & Christus, exhibet vinum saluberrimum & iucundissimum, plenum omni iucunditate & lætitia. Affero rationes vinum Christi esse præstantissimum illustrantes. Quod verò vinum Christi, sit huius mundi omnibus vinis, excellentissimum, vel inde colligere licet, quia exhibetur à supremo cœli & terræ Monarcha. Vsu enim & consuetudine quotidiana cognoscimus, quo quis superior, & diuitiis locupletior, eo meliori vino abundat. Omnium supremus & ditissimus Christus IESVS, ergo eius vinum optimum præstantissimumque esse sit necesse. Placet quorundam Principum conuiuia recensere, ex quibus concludetur si Principes terrestres in suis conuiuiis pretiosissima quæq; fercula, & vina optima apponebant, multo magis Rex Regum & Dominus Dominantium, hac in parte primatum obtinet. Legimus Caligulam Imperatorem Romanorum ducentis quinquaginta millibus ducatorum cænauisse vno die, qui commentus portentissima genera ciborum, atque cænarum: vnguẽtis calidis, frigidisque lauabatur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorbebat: conuiuis ex auro panes, & obsonia apponebat. Huius æmulator Antonius Heliogabalus, cuius tanta fuit luxuria, vt nunquam lotis linteamentis vsus sit, sed nouis, ac

Bacchus dat vinũ, idem facit & Christus.

Suetoni ca. 56.

Alex. ab Alex. Geni. die lib. 5. c. 21.

recentibus semper, piscinas rosea impleret aqua, balsamum lucernis infunderet, gemmasque aceto liquefactas biberet. Iungendus est his Vitellius. Is, cum Fratris conuiuio interfuisset: in quo duo millia lectissimorum piscium, septem auium apposita erãt, quo eam cænam superaret, immensæ magnitudinis patinam dedicauit, in qua scarorum iecinora, phasianorum, & pauonum cerebella, linguas phænicopterum, murænarum lactis à Carpathio vsque fretoque Hispaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum commiscuit. Cæterum lautius est conuiuium Christi, & melius suauiusque vinum, quippe hi omnes exhibebant vinum, & ea fercula, quæ terra profert, corpori humano & non animæ conducentia, & delectabilia: At Christus Dominus Rex cœli & terræ, vinum exhibet animæ & corpori fructuosum, datur in conuiuio Christi vinum vt magnificentia regia dignum est, vt bibat vnusquisque secundum ætatem suam. Sed quæret aliquis quale hoc est vinum Christi? vtique quod lætificat cor hominis. Consolationes nempe spirituales quas præstantiores semper esse carnalibus S. Gregorii verba testantur. *Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciæ cum non habentur, graue in se desiderium accendunt: cum vero auidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ, cum non habentur in fastidio sunt: cum verò habentur in desiderio: tantoque à comedente amplius esuriuntur, quantò ab esuriente amplius comeduntur. Ad hæc vinum huius mũdi multorum malorum causa existit.* Eccl: 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*, prouerb: 31. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* Cum Michael Orientalis Imperator vino in cæna obrutus torperet, somnoq; profundissimo

Tranquillus cap. 13.

Gregor. hõ. 36. in Euan.

Baro thõ 10.

fundissimo oppressus iaceret, Basilius egressus cum coniuratis, claustra cubiculi Imperatorii confregit, ne fores à cubiculariis claudi possent, deinde cum coniuratis aduenit, iis autem qui ante cubiculum excubabant, percussores aditu prohibere conantibus, orto tumultu, Imperator somno soluitur, irruunt cum strictis gladiis coniurati, & quidam illorum manibus Imperatori ambabus resectis, ferro sibi iter aperiens discedit. At Michael cum ex vino titubans ebrietate impediente fugere non posset, miserabiliter eiulans iacebat. In quem alius quidam ex Basilianis, viuere adhuc conspicatus, insiliit, ensemque ita in eius pectus adegit, vt ventre etiam traiecto intestina elaberentur. Carolus quoque Nauarrensis Rex senio confectus neruorum dolore laborabat, medicis ita suadentibus, assui toto corpori linteum aqua (quæ vitis aut viua dicitur ex vino facta) perfusum iussit. Cum autem qui linteum cosuerat cādelæ igne abrumpere filum peracto opere vellet, & parum considerate linteum lumine contigisset, statim totum concepto igne exarsit, neque ante ferre opem quisquam potuit, quam Carolus Rex, nimis propere sæuiente flamma combustus est. fit reuera ex vino aqua, ignem vehementem concipiens, quippe luxuriosa res est vinum. At vinum Christi nullum malum hominib⁹ infert, non etiam mentē obruit, sed potius illuminat, nam Apostoli gustato hoc vino, radio sanctæ fidei sunt illuminati, dicente S. Euangelista. *Et crediderunt in eum discipuli eius.* Venite ergo & bibite vinum, quod miscui vobis, clamitat diuina sapientia. *Præterea.* Vinum mundi ad vesperum deficit. Voluptates enim & omnia huius mundi, bona morte adueniente,

Simon Maiolus 36. 3.

Vinum Christi saluberrimum.

Mundi vinum deficit ad vesperū.

uenientе, & fores corporis non effringente omnia pereunt, omnia dilabuntur, omnia deficiunt, peritque memoria hominum cum sonitu. Vidistis aliquādo ventum magnum exurgere, & magnum strepitum excitare, omnes mirantur, omnes ab eo cauent, omnes de eo loquuntur, & dicunt. Heu qualis quantusque ventus, sed subito, vento cessante, cessat eius mentio & memoria, & quasi non fuerit fugit, nullum post se relinquens vestigium aut signum. Vita nostra quid aliud, quam ventus est. *Memento* inquit Iob, *quia ventus est vita mea.* surgit in curia Princeps seu Regis familiaris, & priuatus, strepitum excitans magnum, ob potentiam scilicet & imperium suum, omnes de eo loquuntur & ab ira & odio eius cauēt, ab eo fauorem postulant, gratumque sibi conantur efficere: at morte ipsius adueniente statim eius omnes obliuiscuntur, nullus de eo cogitat, rarus qui mentionem bonam faciat. Ad vesperum mundi vinum deficit. Quo tempore vinum Christi in magna & copiosa abundantia crescere & augeri incipit. nam morientibus Christi famulis, magna oritur voluptas & lætitia, & benedicit Dominus nouissimis eorum, magis quam prioribus, fitque melior dies mortis eorum die natiuitatis. tunc enim torrente voluptatis potantur, & in memoria æterna erunt iusti, gloria & honore coronabuntur, & fulgebunt sicut sol in conspectu Domini. Corpora eorum in pace sepelientur, & viuent nomina eorum in æternum. Dabitur inquam illis vinum à Christo Domino antiquum & vetus, cum illis in hora illa dicetur: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Flauum & perlucidum. *Nam in lumine*

Vita nostra vento est valde similis.

Iob. 7.

tuo

tuo videbimus lumen. Salubre & iucundum. *Iam non erit amplius neque dolor, neque clamor, neque mors, neque luctus.* Attendite. Vinum mundi ſeu lætitia ſæcularis gaudet iucundo initio, ſed terminatur pernicioſo exitio. Quatuor enim ſunt, in quibus mundi lætitia ſuum dilatat dominium. 1. Nuptiæ. 2. Conuiuia. 3. Triumphi. 4. Deliciæ, & in his oritur lætitia cum tripudio, ſed breui amittitur cum moleſtia. De Philippo Rege Macedonum Iuſtinus inquit. Interea dum auxilia à Græcia coëunt, nuptias Cleopatræ filiæ Alexandri quem Regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum Regum, & collocantis filiam & vxorem ducentis apparatibus inſignis. Sed nec ludorum magnificentia deerat, ad quorum ſpectaculum Philippus cum ſine cuſtodibus medius inter duos Alexandros, filium generumque procederet, Pauſonias ex Macedonibus nemini ſuſpectus adoleſcens occupatum anguſtiis Philippum in tranſitu obtruncat, diemque lætitiæ deſtinatum, fædum luctu funeris facit? O quam cito deficit in nuptiis vinum mundi. Attila Hunnorum Rex ipſa prima nuptiarum nocte, manante è naribus ſanguine, prius mortuus eſt, quam quiſquam præſentiret. Sed & Henricus Rex Galliæ, conſtituta pace & inito fædere cum Philippo Rege Hiſpaniarum, eique data in matrimonium filia, & ſorore Margareta elocata Philiberto Allobrogum Duci, regales celebrat Lutetiæ nuptias. Ipſe ludis equeſtribus toto triduo vacat. Tertio equeſtrium certaminum die, Rex ipſe Momgomerium vel inuitum dehortantibus etiam amicis, data in manus lancea ad certamẽ prouocauit, ſed vbi congrediuntur, fracta in regis pectus lancea, & cru-

Iuſtinus lib. 9.

Philippus Rex in nuptiis necatur.

Fulgo. lib. 1.

Attila prima nocte nuptiarum moritur.

& crustulo per galeam non rectè clauso, perq; oculum in cranium vsque tanto impetu ingresso vt phragma omnino violaretur, oculum primo, post mentem tandem inter summos cruciatus nono die vitam amisit. Rex ætate, viribus, opibus, fortuna florentissimus, inter hostes tutus, nuptiarum festiuitate morte sua inopinata, summam lætitiam, in miserabilem luctum & mœstitiam conuertit, & Regia opere textorio splendidissimis pretiosissimisque aulæis vndequaque operta, ad tripudia saltationesque magnifice extructa, repente pullis funereisque obducta pannis, ac lugubribus nœniis nocte dieq; personans miserabilem spectantibus præbuit aspectum, & insigne vicissitudinis rerum humanarum exemplum. Tradidit Saram Raguel Tobiæ in vxorem, fecitque conuiuium cum gaudio: *Sed circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulchrum.* Quid causæ tempore nuptiarum sepulchra fodere? quæ conuentio nuptiarum cum sepulchris? lætitiæ cum luctu? gaudii cum tristitia? Non mirum, breui enim deficit mundi vinum, multique reperti sunt, qui prima nuptiarum nocte subitanea morte é viuis sublati sunt. Iterum mundi vinum, seu carnalis lætitia in conuiuiis, hominibus magna cum iucunditate exhibetur, sed breui temporis spatio durat, non longo tempore lucet oriens phœbus, adsunt nebulæ æmulationum fulgura & coruscationes contentionum aliquando etiam largissimæ pluuiæ sanguinis effusionnm, & sic subito casu qui conuiuiis adsunt ruunt, vertitur in luctum Cythara, & organum in vocem flentium. Iob. 1. *Et ecce alius intrauit & dixit, filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus*

Rex Gallorum misere perit in festiuitate nuptiarum.

Tob. 8.

tibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concußit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit filios tuos, & mortui sunt. Videtisne quomodo bibentibus vinum, subito oboritur tristitia & extrema gaudii occupat luctus? deficit vinum mundi, & subito adest summa & inopinata inopia. Commemorat Crantzius de Ludouico Magdeburgen. Episcopo, qui cum puellas & matronas in oppidum Caluem non procul à Magdeburga ad ludos & choreas euocasset, dies aliquot in omni rerum copia atque affluentia lætus exegit. Ipse choreas cum puellis ducens, nulli hilaritate, leuitate, circulationibus & clamoribus cessit, dies totos compotationibus exegit. Tandem die Lunæ hora septima, dum in mediis vanitatibus versantur, ignis in camera exiguus tamen, & vel à puero extinguendus apparens, tantum timorem Episcopo cæterisque omnibus iniecit, vt ad gradus subitò festinarent vniuersi, tantaque contentione vt mole victus lapideus gradus concideret ruente Episcopo cum trecentis aliis illæsis omnibus preter Episcopum, & tres aulicos postero dies mortuos. Quibus in locum suum concedentibus lætitia in mæstitiam versa est. Vidistis aliquando circa vnum cadauer mortuum feras syluestres diuersi generis cibum quærentes? nonne contra se consurgunt? nonne se dentibus & vnguibus lacerant & cruentant? nonne magnum inter se tumultum excitant? Omnes in conuiuiis sese vino ingurgitantes quid aliud sunt nisi bestiæ rationis lumine carentes. Eccl: 31. *Vinum multum potatum irrationem, & iram, & ruinas multas facit,* & prou. 20. *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas,* hinc enim ad rixas, ad vulnera,

Episcopus cõuiuiis choreis & compotationibus deditus repẽtina morte punitur.

Prima ratio ostendens in conuiuiis nõ posse longo tempore lætitiam mundi durare, quia ebriosi sunt sicut bestiæ circa cadauer discordes

nera, ad effuſionem ſanguinis progreditur, & ſic lætitia conuiualis vertitur in triſtitiam funebralem. Adhæc qui per prata viridantia, & ſuauiſſimos florum odores ſpirantia diſcurrunt, nonne lætantur? nonne gaudio diffluunt? nonne Cytharas, lyras, aliaque inſtrumenta Muſices pulſant? ſed ſi ſubitò in foueas plenas ſpinis, & ſerpentibus inciderint, omnis eorum lætitia in maximam vertitur triſtitiam. Vinum mundi & oppipara conuiuia exhibent ſufficientem lætitiæ materiam: ſed cum maximè lætitiæ habenas laxauerint conuiuæ, & ſe totos compotationibus dederint, extemplo adſunt ſpinoſæ contentiones, odia & rixæ ſicut venenoſi ſerpentes, tandẽ peruenitur in foueam iracundiæ in qua omnia confluunt mala, prou: 23. *Cui væ, cuius Patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum, nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* Eſt aliquis in horto arboribus vmbroſis & herbis odoriferis conſito, multam inde haurit delectationem, accumbit menſæ, cæna lautiſſima affertur, cãtus iucundus auditur, vinum in abundantia apponitur, & ecce ſubito coluber in menſam irruit, hominemque illum veneno ſuo inficit, oritur clamor, ceſſat cãtus, eiulat vulneratus, aduocatur medicus, lætitia vertitur in triſtitiam. Talis eſt ſors conuiuarum, prou. 23. *Ne intuearis vinum cum ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, ſed in nouiſsimo mordebit vt coluber.* In triumphis quoque (quorum magnificentiam tum exhibent Principes, cum naſcitur filius Regis, hæres & Dominus, ſucceſſorque paterni regni, aut cum deuictis hoſtibus Imperator reuertitur cum exercitu ſaluo & integro, ſignis hoſtium ereptis, & coronis victo-

Altera ratio pulchre oſtendens conuiuas ad omnia mala ſolere cito venire, & ſic ſufficientem lætitiã non poſſe habere.

Tertia ratio iucundiſsima demonſtrans conuiuas inter pocula à ſerpẽte infici, & ſic ad triſtitiam adduci.

riæ onuſtus, aut etiam cum quiſpiam altiſſimum dignitatis gradum conſequitur) nulla perfecta lætitia, nec vinum abundans in magnificentia exhibetur. Omnia quippe vanitas & afflictio ſpiritus, deficit ſubito vinum mundi, & qui exaltatus fuerat ſicut Cedrus Libani, cito tranſit & non inuenitur amplius locus eius, ſed & hoc manifeſtum eſt, natum Regis filium magnam lætandi triumphandique lætitiam ſubminiſtrare, fit tamen frequenter paucis poſt diebus moriendo, copioſiſſimam lætitiam vertit in maximam triſtitiam. Rem dicam mirabilem. Bibulus Romanus cui Boni cognomento fuit, cum Romã ob deuictos Reges ex S. C. decreto triumpho exciperetur, tegula a tecto forte fortuna delapſa perimitur & ſic in ipſa feſtiuitate triumphi vinum mundi defecit. Hic Iulii Cæſaris & Pompeii hiſtoriæ cõmemorandæ ſunt, qui cum fuerint præſtantiſſimi Imperatores, fortiſſimi Duces, celeberrimi Triumphatores. de quibus Plinius inquit: Si quis velit cum Pompeii rebus, Cæſaris res percenſere, totum profecto terrarum orbem enumeret. Et tamen hi fæliciſſimi omnium, qui vnquam extiterunt Imperatores, & quaſi ornamenta fuere gentium, miſerabilem plane & indignum ſua dignitate exitum ſortiti ſunt. Nam inconſtans fortuna Iulium Cæſarem in aureo ſolio Romæ collocatum, Caſſio & Bruto, reliquiſque coniuratis viginti tribus vulneribus trucidandum in manus nefarias tradidit: Pompeium verò virum glorioſum, ſummum Imperatorem, plurimiſque triumphis celeberrimum, tam paruum & diminutum reddidit, vt vna pugna Pharſalica, vnaque hora omnem in vniuerſum gloriam cum totius orbis im-

Iulius Cæſar & Pompeius multoties triumpharunt. ſed cito defecit vinum vterque crudeli & miſera morte obierunt.

bis imperio, & ipsa vita amiserit: Cum ipsi in Ægyptum fugienti, iussu Ptolomæi Regis, ab Achilla perfide caput amputaretur, truncus vero, marcidis scaphæ piscatoriæ reliquiis, in littore à Philippo liberto suo funeraretur, erecta Pala cum hac inscriptione. *Hic situs est Pompeius Magnus.* Nec in deliciis vinum mundi esse sufficiens verba Eccles: testantur. *Dixi in corde meo. Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis,, &c. Magnificaui opera mea, & ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomeria, & conseui ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarent syluam lignorum germinantium &c. Et omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram, &c.* O delicias verè regales, sed attendite quid enumeratis omnibus suis deliciis dicat. *Cumque me* inquit *conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Vbique deficit vinum mundi, & in omnibus delitiarum oblectamentis aliqua admiscetur tristitia, vt ait S. Basilius. *Oblectatio corporeæ voluptatis, plus doloris habet quam iucunditatis. Nuptiæ enim sæpe steriles sunt, viduitates continent & stupra. Agricultura sterilitatem, mercatura naufragia, diuitiæ insidias patiuntur: sed & deliciæ, & satietas, & continens voluptatum fruitio multos & varios secum trahunt morbos, ac affectionum varia genera.* S. Chrys. ad pop. Antioch. *Quid non mali faciunt deliciæ? sibi ipsis contrariæ sunt vnde nescio quomodo nomen hoc habeant: sed sicut gloria cum ignominia sit: & diuitiæ cum sit paupertas, vocatæ sunt: sic & deliciæ cum iniucunditas sit.* Fuit in cōuiuio huius mundi, & plenis buccis vinum huius sæculi sorbebat, Ducis Venetiarum

Cap. 2.

In psal. 33.

Voluptas plus doloris habet quam delectationis.

Diuitiæ sũt amaræ.

uetiarum vxor, ſed ad veſperum defecit vinum mundi, quæ fæmina tam delicati vixiſſe fertur, vt etiam communibus aquis ſeſe dedignaretur abluere,ſed eius ſerui rorem cœli ſatagebant vndique colligere, ex quo laborioſum ſatis ſibi balneum procurarent. Cibos quoque ſuis manibus non tangebat, ſed ab Eunuchis alimenta quæque in minuta concidebantur fruſta: quæ mox illa quibuſdam fuſcinulis aureis, atque bidentibus ori ſuo liguriens adhibebat. Eius porro cubiculum tot thymiamatum, aromatumque generibus redolebat, vt & vobis narrare dedecus fatear, & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo, quantum huius fæminæ exoſa fuerit ſuperbia, manifeſtá docuit vlciſcendo cenſura. Vibrato quippe ſuper eam diuini mucrone iudicii corpus eius omne computruit, ita vt membra corporis vndique cuncta marceſcerent, totumque cubiculum intolerabili prorſus fætore complerent, nec quiſpiam tantam perferre narium iniuriam potuit: non coſmeta, non ſeruulus, vix vna duntaxat ancilla non ſine ſpeciei redolentis auxilio, in eius obſequii ſedulitate permanſit. Eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abſcedebat: diutius enim hoc languore decocta, & miſerabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus, diem clauſit extremum. Recordemini ergo horrẽdorum inferni cruciatuum, in voluptarios à Deo decretorum iuxta illud, Apocalypſeos. *Quantum in deliciis fuit, tantum illi date tormentum.* Etſi enim multis annis vixerit homo, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum malorum, qui cum venerint vanitatis arguentur præterita. Exemplo ſit Epulo Euangelicus, qui epulatus quotidie ſplendidè Eccl. II.

 ſepultus

ſepultus eſt in inferno, & in ſummis cruciatibus & tormentis exiſtens guttam aquæ impetrare non valet. Præclarè S.Chryſ. ad popul. Antioch. *Non decipiamus noſmetipſos. Detur enim quod per totam vitam noſtram voluptati vacauerimus: ſed quid ad infinita ſæcula? Hic enim & bona & mala finem habent, illic autem immortales pœnæ. Hic ſi ardeat corpus, egreditur anima: illic vero incorrupto reſurgente corpore ſemper anima comburitur, peccatores enim incorrupti reſurgent, non vt honorentur, ſed vt immortaliter in tormentis permaneant.* Si itaque balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen. Recordemini inquã omnia bona mundi eſſe momentea, vinumque eius cito deficere, ſed potius venite, bibite vinum ſanguinis Christi, & cõſolationum diuinarum quo guſtato non ſitietis amplius, niſi ſolum IESVM, cui laus & gloria, cum Deo Patre, & S. ſpiritu in ſæcula ſæculorum. AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Implete hydrias aqua. Ioan. 2.

Summa Concionis. OMnis qui Chriſto aliquid donat, centuplum accipit, & qui in nomine eius poculum aquæ frigidæ tribuit, calicem plenum vino cœleſti poſſidet. Libe-

Liberalitate erga omnes excellere bonum & honestum esse immo & vtile, nemo est, quem prætereat Auditores in Christo dilecti, quippe talis gloriam, honorem, & amorem sibi facile apud animos hominum comparat, omniumque studia in se accensa experitur, quo quid antiquius, præstantius, vtiliusue? Cymon Atheniensium Princeps teste Plutarcho cum pluribus in locis prædia rusticana haberet, nunquam tamen in his custodem habere sustinuit, ne quis impediretur, quo minus rebus eius quibus vellet frueretur, semperque eum nummati pedissequi sequebantur, vt si quis eius ope indigeret, haberet quod statim daret. Imperator Titus recordatus quondam super cænam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, vocem illam laudatam emisit. Amici perdidi diem. Dionysius Siculorum Rex ad filium ingressus conspexit argenti cœlati magnam vim, magnificam hanc extulit vocem. Non est in te regius animus, qui his poculis & vasculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem amicum tibi feceris. Aurelio olim Imperatori dictum est. Si rempublicam rectè administrare volueris, auro & ferro te munitum esse oportet, ferro vt hostes timeant, auro vt amici diligant. Quod si homines pro sua liberalitate erga egenos declarata tantas consequuntur vtilitates, quid existimandum de illis, qui insignem liberalitatis gratiam erga Deum, & seruos eius exhibent? Certe gloria & honore coronabuntur, & qui ex illis dedit Christo decem talenta, centum recipiet in futuro sœculo, multiplicabuntur bona eius non erit derelictus nec semen eius quæret panem.

AVE MARIA.

TRibuentem liberali dextra elemosynas, nullum vnquam in rebus suis detrimentum pati, sed potius in omnibus bonis suis augmentum capere sacrarum literarum monumenta testantur. Prouerb. 28. *Qui dat pauperibus nunquam egebit. qui autem auertit oculum suum in magna penuria erit.* Communis vox illorum hominum quos auaritia captiuos tenet hæc est, si omnibus egenis de bonis nostris aliquam partem tribueremus, sine dubio ad maximam egestatem deueniremus, sed ecce contrarius Sacræ scripturæ sonus, liberales quidem erga pauperes in omnibus suis bonis magis magisque in dies crescere & augeri, tenaces vero & ad tribuendam eleemosynam difficiles minui, & ad summam paupertatem prolabi. 2. Cor. 10. *Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit seminationem vestram, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletemini.* Qui egenti adiumentum de bonis suis affert, bonum semen seminat, breui cum exultatione manipulos in horreum suum importaturus, quemadmodum enim agricolæ si frumenta domi clausa tenent, vermibus in escam seruant, si vero disperserint in terras, non modo custodiunt, sed etiam augent, sic opes stantes in arca, ac sub sera & vecte defossæ cito transfugiunt, si vero in eleemosynas distributæ fuerint, nō solum manent custoditæ, sed maiores inde crescunt, augetque Deus incrementa iustitiæ, vt in omnibus locupletetur liberalis homo. Esai. 58. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ*

Tenaces homines dicūt minui sua bona cum dant eleemosynas sed falluntur

tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & splendoribus implebit animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. O immensas ex eleemosyna profluentes vtilitates. Verum igitur est, qui dat & dispergit pauperibus, eius bona augeri & multiplicari, qui vero dedignatur subleuare egenos ad magnam miseriam deuolui. Placet idem exemplis è fontibus sacræ scripturæ depromptis illustrare. Gen. cap. 18. *Proles promittitur Abrahamo, propter eleemosynam. Abigail ob panes aliquot Dauidis militibus prudenter distributos, ad statum regium promouetur. Vidua etiam pauper, Eliam magno cum gaudio hospitans, dignos percipit fructus. Mulier Sunamitis Elisæum transeuntem hospitio suscepit, atque ideo ei filium impetrauit, & eundem mortuum suscitauit. Cum euasisset Paulus cum sociis de confracta naui, Publius Princeps triduo eis victum benignè exhibuit. Paulus autem Patrem ipsius febri & dissenteria laborantem, oratione & manuum impositione sanauit.* Manifestum ergo est liberalitatem erga egenos; nihil incommodi, sed maximos quosq; fructus hominibus afferre, quod idem aliquot rationibus veritati consentaneis affirmare licet. quarum *Prima hæc est.* Qui vnico prandio creditori exhibito grande debitum, cuius ergo carceri inclusus fuerat, sibi remittendum procurat, sine dubio iste magni lucri particeps efficitur? quod autem maius grauiusq; debitum nostrorum peccatorum pondere? at omnia scelera virtus eleemosynæ remittenda & delēda procurat, hac qui erga pauperes subleuandos vtitur, nonne magnum reportat fructum? Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, & Tob. ca. 4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animā ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo, omnibus faci-*

Enumerantur maxima commoda ex eleemosyna prouenientia

1. Reg. ca. 22.

3. Reg. 17.

4. Re. c. 4.

Act. c. 21.

bus facientibus eam. *Altera ratio hæc est.* Qui tribuens poculum aquæ frigidæ, dolium optimo vino repletum in signum gratitudinis accipit, nonne magnam vtilitatem assequitur? qui bona temporalia quæ sicut aqua cito dilabuntur, suntque exiguæ durationis distribuit pauperibus, fit hæres bonorum cœlestium, & pro terrenis sumit æterna, an non ingenti vtilitate potitur. Mat. 20. *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* *Tertia ratio hæc est.* Qui pecuniam dat ad vsuram, nullum damnum patitur, quin imo augmentum cum pecunia mutuo data recipit, sed qui eleemosynã tribuit, soli Deo ad vsuram bona offert, ergo &c. prou. 19. *Fæneratur Domino qui miseretur pauperis; & vicissitudinem suam reddit ei.* Gentilis quidam in Nisibi vrbe, Christianæ mulieri copulatus, pecuniam fæneraturus, piæ vxori credens, pauperibus Christi omnẽ erogauit, velut apud nummularios, qui centuplum reddituri essent. Lapso tempore cum nihil reciperet, iam non parum de re sua cæpit conqueri apud vxorem: illa hominem deliniebat, Christumque pro omnibus tandem erogatis & compensaturum & multiplicaturum affirmabat: at non ita hominis cupiditas extinguebatur. Tandem itaque empto ad obsonium pisce, inuenta in illo est maximi gemma pretii quæ sexies & eo amplius pecuniam pauperibus erogatam superabat, ille tanto miraculo admonitus effectus est Christianus, Deo perpetuas gratias agens.

Sophronius prato spirituali ca. 185.

Amadeus Sabaudiæ Dux rogatus à quibusdam Oratoribus qui aderant, an etiam haberet canes venaticos: annuit vt postera die redirent. Cum vero iam adessent, Amadeus è pergula à latere ædium ingentem

tem mendicorum multitudinem eis oſtendit, vna diſcumbentium. Atqui hi ſunt inquit, canes mei quos alo quotidie, quibuſque cœleſtem gloriam me ſpero venaturum. Magna igitur vtilitas ex diſtributione eleemoſynarum oritur, vt ex allatis in medium rationibus patuit. Ad maius tamen, & euidentius rei noſtræ teſtimonium placet curſum orationis noſtræ vnico exemplo terminare, ex quo facile colligere licebit, bona pauperibus diſtributa non minui, ſed vehementer augeri. Ferunt Tyberium Cæſarem, vtilem, ſtrenuum atq; ſapientem eleemoſynarium inopumque optimum defenſorem fuiſſe. Qui cum multa de theſauris, quos Iuſtinus aggregauit, pauperibus erogaret, & Auguſta eum frequentius increparet, quod Rempublicam redegiſſet in paupertatem, diceretque: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodige diſpergis; aiebat ille. Non deerit Deus fiſco noſtro, tantum pauperes eleemoſynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic eſt enim magnus theſaurus dicente Domino: Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Ergo de quo Deus dedit congregemus per pauperes in cœlo, vt Dominus nobis augere dignetur in ſæculo. Et quia vt diximus magnus & verus Chriſtianus erat, dum hilari diſtributione pauperibus opem præſtat, magis ac magis ei Dominus ſubminiſtrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua crux Dominica erat ſculpta, & ait. Cruce tua Domine frontem noſtram munimus, & pectora, & ecce crucem ſub pedibus conculcamus. Et dicto citius,

Tyberius Cæſar liberalis in pauperes admodũ fuit

tius,

tius, iussit eam auferi. Qua amota reperiunt alteram & tertiam, iussuque eius & hanc auferunt, & ecce inueniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius, vt consueuerat subministrabat, nec ei Domin⁹ aliquid deficere permittebat, pro bona voluntate sua. Quid ei Dominus in posterum trãsmiserit non omittam. Narses ille Dux Italiæ, cum in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus, ad supra memoratam vrbem aduenit: ibique in domo sua occultè cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposuit, ibique interfectis consciis, vni tantummodo seni per iuramentum condita commendauit, defunctoque Narsete hæc sub terra latebant. Cumque supradictus senex huius eleemosynas assidue cerneret, pergit ad eum dicens, si inquit mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Cæsar dicam. Cui, ille, dic, ait, quod volueris. Proderit enim tibi si quidquam profuturum nobis narraueris. Thesaurum inquit Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus cælare non possum. Tunc Cæsar Tyberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente vero sene hi sequuntur attoniti. Peruenientesque ad cisternam deopertam ingrediuntur, in qua tantum aurum argẽtumq; reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à deportantibus. Huius igitur piissimi Cæsaris exemplo, facite largas eleemosynas, centuplum enim accipietis hic, & in futuro sæculo. Vbi Deus trinus & vnus, sine fine viuit & regnat.

Magna remuneratio ꝓ distributis eleemosynis.

AMEN.

ORA-

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica III. post Epiphaniam.

Domine puer meus iacet in domo paraliticus. Mat. 8.

MOrbum corporis esse medicinam salutarem animæ pulcherrimo discursu demonstratur. *Summa Concionis.*

ADamas lapis Indicus, habens colorem & splendorem cristallinum præclarissimis quibusque gaudet proprietatibus, ac inprimis nulli cedit materiæ, nec ferro quidem nec igni, nec vnquam incalescit, vnde à Græcis vis indomita appellatur, sed cum sit inuictus ferro, ignisque contemptor, rumpitur sanguine hircino calido & recenti, cuius fragmentis sculptores in signandis gemmis & perforandis vtuntur. Dissidet in hoc à magnete, quia positus adamas iuxta ferrum, non patitur illud attrahi à Magnete. Adhæc adamas capiti mulieris dormientis suppositus, si fuerit casta dormiendo amplecti cogitur virum, si vero fuerit adultera & infidelis à marito subito resilit, & velut lapidis præsentia indigna de lecto cadit. Et hæc quidem adamantis proprietas rei nostræ illustrandæ accomodatum subministrat, auxilium, sicut enim adamas mulieres an in sua fidelitate permaneant, probat, sic tribulatio valetudinis peruersæ tentat hominem, ostenditque an verè timeat Deum, & recedat à malo. Sunt enim

Isid. li.16.

Adamas mulierem infidelem deiicit à latere mariti in terrã.

MultiDeum laudāt, quia bene habent sed cum tentatio probauerit illos agnoscitur eorum ficta et simulata pietas.

Propositio morbos esse medicinā animæ.

multi qui Deum idcirco timere videntur, quia vallauit eos Dominus, ac domum eorum, vniuersamque substantiam eorum per circuitum, operibus manuum eorum benedixit, & possessio eorum creuit in terra, sed cum Deus extendit paululum manum suam, & tangit carnem eorum, & tunc videre licet quod in faciem benedicant Deo: si vero quispiam fuerit, fidelis seruus Dei, etiamsi à planta pedis vsq; ad verticem capitis vlcere pessimo percussus fuerit, ad Deum benedicendum & laudandum, humiliterq; quærendum conuertitur. Est igitur morbus & omnis alia tribulatio quibusdam venenum, quibusdam vero medicina, imo quam plurimos ad meliorem mentis sanitatem, & Christum amplectendum quærendumq; inducit, vt patet in hoc centurione.

AVE MARIA.

MOrbum corporis afferre sanitatem animæ, ex his verbis colligimus. Eccl. 38. *Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.* Quorum verborum germanum sensum hunc esse intelligo. Peccasti, iniquitatem fecisti, incides in manus Dei viuētis, qui solus præstare potest, salutarem ad tollendum peccati morbum medicinam: Incidere autem in manus Domini, nihil aliud est, nisi vehementi morborum dolore, & tribulationum amaritudine, Deo sic permittente torqueri dicente S. Iob. aduersa valetudine affecto. *Manus Domini tetigit me.* Annuit sententiæ meæ lumen Ecclesiæ, S. Augustinus. docens morbum corporis causam salutis animæ existere his verbis. *Tussi laboras, pulmone deficis, cibum stomachus respuit, phtisi*

phtisi decoqueris, vinum fastidis, dissenteria sauciaris, multi modo morborum genere afficeris? sed & hæc si oculum habes, si cordatus es Dei tota sunt, disciplinam patris, ne abiicias fili. &c. Vis scire quia infirmitas corporis salutem animæ parturit? Audi Dominum Apostolo respondentem virtus in infirmitate perficitur, ac si dicat. Complectere quam pateris infirmitatem, quoniam ita proficies de virtute in virtutem. Non dissimilis ab Augustini S. Ambrosii sententia ad Bellicum ægrum ita scribentis. *Iactatum te graue ægritudine significasti mihi, credidisse in Dominum IESVM, & iam cœpisse reualescere. Ad salutem igitur ea infirmitas fuit, plus aculei: quam periculi ferens. &c. Hoc est quod ait, percutiam & sanabo percussit infirmitate; & sanauit fide.* Probatur idem pulcherrimis similitudinibus. quarum *Prima hæc est.* Ferrum longo tempore intactum rubigine coopertum breui videbis; similiter hominem in statu prosperitatis existentem ad omnia vitia, quæ sunt animæ morbi frequenter prolabi, facili negotio agnosces: & sicut ferrum igne purgatur, sic anima camino tribulationum & igne febrium, à morborum malitia euacuatur. Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua. Altera similitudo hæc est.* Quanto diluuii aquæ amplius crescebant, tanto magis in sublime cœlum erigebatur arca Noe, sic quanto animæ maior tempestas, & fortiores tribulationum procellæ, tanto magis eam ad sublimia ducunt, tanto inquam & oratio feruentior, & humilitas profundior, & sanctus timor grauior, & feruor spiritualis vehementior. Notum est struthionem ferrum ipsum deuorare, dirigere, & in nutrimentum sibi conuertere, quod ex magnitudine & vigore caloris naturalis procedit, sic callidæ febres pertinaciam duram, ferream

S. Augu. li. de visitatione infernorum cap. 3.

S. Ambrosius lib. 2. Epist. 9.

Eccl. 31.

Infirmitas grauis sobriam facit animam.

malitiam frangunt, corque lapideum conuertunt in carneum. &c. *Tertia similitudo hæc est.* Eadem animalia sunt in mari, quæ & in terra, Leo terrestris, Leo marinus, sus terrena, & sus marina, coruus terrenus & coruus marinus, sed maximum est inter ista discrimen: nam Leo terrenus ferus & crudelis est, marinus mansuetus & clemens. Aqua euidentissimum tribulationis symbolum iuxta verba Dauidis. *Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Videbis igitur hominem vt Leonem rugientem, quẽ positum in infirmitate, & aquis tribulationum circumdatum, mansuetum & mitem aspicies. *Quarta similitudo hæc est.* Vt agricola fructum colligat terræ, oportet eam aratro & ligone proscindat, & colat, alioquin spinas & non segetes proferet. Ita & nos qui terra sumus, oportet, si fructus afferre dignos horreo cœlesti desideramus, aratro crucis & ligone pænitentiæ scindamur. *Quinta similitudo hæc est.* Sicut vas prauo odore perfusum, eundem semper retinet, nisi fecibus eiectis aqua calida decoctum, vel etiam ambustum nouo liquore imbuatur, sic animus peccatis assuetus nouum saporem non ante induit, quam noua aliqua afflictione vexatus saniora consilia accepte. *Sexta similitudo hæc est.* Imagines sanctorum dupliciter fiunt, vel delineando, & lineas lineis, coloribus colores addendo, vel truncum aptando, tollendo, resecando. &c. Sic Deus supremus artifex Sanctos efficit, aliquando superaddendo dona donis, aliquando adimendo, formam, sanitatem, pulchritudinem. Attendite, Addomandam comprimendamq; carnem, ne animæ ad bonum properanti sese impedimento obiiciat, requiritur eius castigatio, macę-

Leo in mari mansuetus imo quæ animalia in terra sunt terribilia ea in mari mansueta.

maceratio, variaque afflictio S. Paulo teste 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar.* At grauis infirmitas nostræ carni molesta est, affertque varios cruciatus & afflictiones, quibus caro vehementer debilitata & languida, ad explendaque sua desideria omnino inhabilis efficitur, igitur morbus corporis salutaris medicina animæ, hostem deprimens, & animam ipsam erigens & eleuans. Præterea, cui displicent minora tormẽta, multo magis displicebunt maiora, Infirmitas est tormentum corporis vmbra quædam & figura futurorum in inferno tormentorum, igitur qui infirmitate circumdatus affligitur, subito cruciatuum infernalium recordatur, & cum durum esse temporalem, pati infirmitatem intelligat, vehementi pauore & metu, ob futura mala cõcutitur, ex templo ergo per pænitentiam ad Deum conuertitur, & sic corporis morbus fit medicina animæ. Addo. Si quispiam multum diuque laborando, dies noctesque sudando in vinea alicuius Patrisfamilias occupetur, cum vero tempus mercedem accipiendi adueniat, in carcerem cõiiciatur, fame affligatur, omni calamitate opprimatur, nonne Patremfamilias crudelitatis accusaret? nonne iuramento affirmaret, se nunquam in posterum ad eius vineam venturum? Infirmitas corporis frequenter in pœnam peccati, à Deo immittitur. Ioan. 5. *Vade & amplius noli peccare, ne quid deterius tibi contingat.* Qui igitur mente perspexerit, se in sectandis voluptatibus multum sudasse, & loco præmii in angustias afflictæ valetudinis incidisse, profecto à simili labore abstinendum sibi censebit; & sic infirmitas corporis erit medicina animæ. Insuper Diues quispiã multorum bonorum possessione beatus, totum

Idem illustratur rationib9 prima talis, corpus castigatum abstinet à malo, sed infirmitas est corporis castigatio ergo illud cohibet à peccato.

totum ſe domi ſuæ in pace donat, fruendis volupta-tibus, conuiuium parat, iocos, cantus, hyſtrionum ſaltus, hiſque ſimilia adhibet, & dum omnes illis va-nis oblectamentorum delectationibus attoniti in-cumbunt, ecce deimprouiſo domus ardere pronun-tiatur. Corripitur ille terrore, domo egreditur, vo-ciferatur, aquam quærit homines conuocat, auxili-um ab omnibus popoſcit. Hoc modo homo morta-lis, cum nullis tribulationum procellis opprimitur, nullos ventos aduerſos patitur, ſed ad voluntatem eius & beneplacitum omnia fluunt, totus diſſoluitur in vanam lætitiam, nullam admittens mentionem aduenientis lethi: ſed cum febris in artus eius ardo-rem ſuum immiſerit, vehementer compungitur, vo-cat presbyteros, peccata confitetur, quibus delen-dis fontes aperit lacrymarum. Refert Plinius Che-lidoniam eſſe herbam, quam deferunt hirundines naturæ ductu, vt cæcucientium pullorum oculis me-deantur, mirabilis herba, quæ oculos erutos rena-ſci, & viſum amiſſum reſtitui faciat. Et non huius ſane ſolius herbæ Chelidoniæ vim ab irrationali ani-mante edocti ſunt homines, ſed aliarum quoq; : nam cerui Dyctamnum herbam docuere eſſe homini ſalu-tarem, in ferro è vulnere extrahendo: ipſi enim ſa-gitta percuſſi, paſtu eius herbæ telum eiiciunt. Hoc modo infirmitas corporis aperit oculos mentis, cæ-cus enim homo eſt, qui peccat, quippe, *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*, ſanat & vulnera animæ, dum compellit homines per medicinam pænitentiæ, du-rum è conſcientiæ domo eiicere telum. In monte Arcadio flabia naſcitur herba, cui inditum à natura eſt, vt ſi excidatur emanet, ab ea liquor ſanguineus tepeſcens

Lib. 8. c. 27

Plinius li. 8. cap. 27.

Via impiorũ tenebroſa.

tepeſcens, quo dum tepor durat, ſi quis ab illo contingatur, occulta quadam ratione trahitur in amorem eius, qui tetigerit, ſic quem virga ſua ferrea Deus omnipotens tetigerit, ſine mora homo mira quadam virtute trahitur ad quærendum, & diligendum Deum. In Braſilia dicitur eſſe herba viua, vocatur etiam pudoris cognomento. Illi ſi quis accedat, protinus ipſa ſe ſponte colligit, conglobataque cõſtringitur, velut aut metuens, aut pudefiens, quod ſi is qui acceſerit, longius ab ea abeat, libera metu pudoreue, iam ſe libere pãdit, ſimili ratione morbo adueniente colligit ſe homo, & pudore ſuffunditur eo abeunte aliquando ſicut canis ad vomitum reuertitur. Eſt igitur morbus corporis, ſanitas animæ, quam vobis donare dignetur, qui ſine fine viuit & regnat, Deus vnus & Trinus. AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Et male torquetur. Math. 8.

PEccatum mortale eſſe crudeliſſimum hominis tortorem pulchre docetur. *Summa Concionis.*

QVæro à vobis Auditores, quisnam ex hominibus ſit maximè abiectus, & contemptus? Reſpondebitis fortaſſis homines mendicos, vlceribus, lepra, aliiſque contagioſis morbis affectos, quos è domibus excluſos in ſtercore deliteſcere ſpectatis. Sed hoc reſponſo non erit mihi ſatisfactum, quippe tales homines repræſentare Chriſti paupertatem docemini: & frequenter viros pios, religioſos, deuotos, illis ſeruire intuemini, ſanctum-que Iob in eadem naui nauigaſſe recordamini. Iterum vos reſpondebitis nullum ex hominibus eſſe minoris æſtimationis, & leuioris conditionis homine peſſimæ famæ nota inſignito. Huic reſponſioni non acquieſco, nam ætate noſtra adeo vitia omnia extulerunt caput, vt quo quis audacior, & in vitiis fuſior, ille quodam modo à plurimis glorioſior habeatur. Iterum vos ſubiicietis. hominem ignotum, veſte lacera indutum, nocturnis perambulationibus ſuſpicioſum ab honeſtis domibus arceri. ſed nondum rem acu tetigiſtis, nam nihil refert, etſi artus tegat veſtis lacera. Cum animo illis ſit virtus ſemper chara. Poloni noſtri vulgo vſurpant. Nic to choć ſukniá ſtára/ byle bylá cnotá cáła. Habete. nullus vilioris æſtimationis apud homines eſſe quotidianis experimentis conuincitur, homine illo, qui per manus carnificis tormenta ſuorum criminum ergo ſuſtinuit, ideo talis flagellis cæſus, naribus & auribus abſciſis è ciuitate ignominioſiſſime eiicitur, tanquam indigniſſimus honeſta conuerſatione hominum. Peccatum mortale eſt, tortor crudeliſſimus, in cuius manus incidere, res apud Deum plena ignominia, atq;

Quæritur quis nam ſit postremæ reputationis.

ita

ita rem se habere docebo. Fauete mente & auribus.

AVE MARIA.

INprimis peccatum mortale esse carnificem crudelissimum, & maximis quæstionibus & tormentis, animam exagitare, sacrarum literarum testimonia, ad id illustrandum adhibenda esse decerno, Eccl. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum. Dentes Leonis dentes eius interficientes animam hominum. Quasi romphæa bis acuta, omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas, & in fine peccantium inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Carnificum illud munus est, nocentes suppliciis afficere, virgis cædere, capite plectere. Peccatum mortale interficit animam, plagas sine sanitate adhibet, cruciatibus sicut Leo ossa confringendo, & coluber veneno carnem inficiendo exagitat, quis illud carnificem crudelissimum & tortorem immanissimum appellare metuet? Recte S. Chrysomus inquit. *Barbarum est peccatum tyrannidem exercens in animam, semel captam, sed in perniciem eorum qui ipsum suscipiunt.* Peccauit Saul contra Dominum, eius mandata perfecta executione implere recusans, & statim subiicitur: *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino,* quæritur igitur homo sciens psallere cythara, vt psallat manu Regi, & Rex leuius ferat tormenta illa. Perquam optime in hoc Rege expressam omnium peccatorum sortem intueor, qui semper tormentis peccatorum exagitati quærunt delectationes mundanas, confluunt ad conuiuia, leniunt dolorem dulci musicorum concentu, recedit aliquãtulum spiritus malus, sed subito redit, quippe vermis eorum non morietur in æternum. *Frequenter enim præoccupatur*

In alteram Epistolã S. Pauli ad Corinth:

1. Reg. c. 16

Conscientia mala mille testes.

cupatur pessima redarguente conscientia. cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia. Notandum dum carnifex accipit potestatem, & plenariam facultatem, innocentem excruciandum, extemplo corripit eum, vestimentis denudat, tormenta admouet, manus ligat, pedes constringit, & in loco morti destinato, sententiam Iudicis seuerissime exequitur. Hoc modo vbi primum malitiæ peccati, sese sponte sua subiecerit homo, omnem in eum crudelitatis seueritatem exhibet. Aures abscindit, ne audiat verbum Dei, os obturat ne laudes proferat diuinas, pedes ligat, ne viam mandatorum Dei currat, manus constringit, ne ad subleuandos egenos eleemosynam præbeat, & fit homo sicut surdus non audiens, & non habens redargutiones in ore suo, & sic funibus peccatorum circumplexum seruum suum efficit, & quocunque locorum desiderat facili negotio trahit. 1. Ioan. 3. *Qui peccatum facit, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* & 8. *Qui enim facit peccatum seruus est peccati.* 2. Pet. 2. *A quo enim quis superatus est eius & seruus est.* Consequens ergo est cum sit seruus, & mancipium peccati, plagas multas aliosq; cruciatus sustineat necesse est. Tormenta vero & cruciatus quibus peccatum homines opprimit, sunt in duplici differentia, quibusdam enim corpus quibusdam autem animam exagitat, scriptura sacra clare docet peccata nostra plerumque morborum causam esse, vt annotauit B. Hieronymus, cap. 9. Mat. vbi cum paralyticus iacens in lecto, Christo oblatus esset sanandus, Christus respondit. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, vt tanquam peritissimus medicus ostenderet, se causam & radicem paralysis tollere. Vnde cum

Summa in hominẽ peccati crudelitas.

cum apud Ioannem ægrum illum, qui per triginta octo annos ad piscinam iacuerat, curasset, ait illi. *Vade & noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Sic Apostolus in priore Epistola ad Corinthios indicat ob indignam Eucharistiæ sacræ perceptionem, quosdam morbis à Deo affligi. *Propter hoc* inquiens, *inter vos multi infirmi: & immbecilles, & dormiunt multi.* Et mox antidotum subiiciens ait. *Si nos ipsos diiudicaremus* per examen conscientiæ, & confessionem peccatorum, *non vtique iudicaremur*, id est, puniremur à Deo. Hoc ita firmum habuit Ecclesia Catholica, nempe peccata esse morborum causas, vt Innocentius III. Papa in Concilio Lateranensi, vt habetur in Decretalibus, titulo *de pœnitentiis & remissionibus*, legem tulerit, ne medicus ægro ante corporis medicamenta subministret, quam Sacerdoti medico spirituali peccata confessus fuerit. Exclamat S. Dauid, & ait. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Conscientiam quoque tanto dolore peccatum mortale exagitat, vt multi sustinere hunc cruciatum non valentes, sibi ipsi man⁹ iniecerint. Qui enim gladium in præcordiis infixum gestat, an non maximos cruciatus sentit, sed homo peccati labe infectus Prou. 12. *quasi gladio pungitur conscientia*, ô quantis tormentorum molestiis excruciatur. Hinc peccatum assimiliatur buresti, qui dicit Plinius, est animal paruum simile scarrabeo: inter herbas quas bos comedit se abscondit: quem bos accipit dum herbas carpit: qui deuoratus à boue iecur eius sic inflammat, vt eum cum cruciatu maximo tandem rumpat. Sic malitia peccati, sub delectationibus quas homo diligit, se abscondit: quam homo non aduertens, cum

Mat. 9. Ioa. 5.

Morbos omnes propter peccata venire.

Psal. 37.

Libro de simil. rerum.

delectationem exterius accipit: intrinsecus inducit: quæ & appetitum inordinate incendit: & mentis soliditatem frangit, & vltimo cruciatum conscientiæ inducit. Feruntur esse in Nilo quidam Delphini dorso serrato, qui interna ventris secantes interimunt Crocodilum. Delphinus ergo qui non anteriori pectore, sed posteriori dorso serrato Crocodili lacerat ventrem, peccatum repræsentat mortale, quod in principio delectat, sed in cor admissum, hominem interficit, mentem lacerat, animam vehemẽter excruciat. Prou. 23. *Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber.* Apud Indos inquit Aelianus nascitur immenso robore, præditum animal, cui Indicorum lingua Manticoræ nomen est, magnitudine maximi Leonis, colore rubrum, canis modo villosum, facie eadem prope quæ hominis, dentium triplici vndiq; ordine, auribus hominis similibus, oculis cæsiis, & his non dissimilibus hominis, pedibus & vnguibus eisdem qui Leonis, summa cauda illi scorpionis modo tereti aculeo, plus quam cubitali armata, reliquum caudæ vtrinq; aculeis cuspidatum existit. quos tãquã tela, si qui in sequantur eminus iaculatur, aculei si quem attingerint, lethales emissiones habent. Cum in anteriorem partem versus iaculatur, caudam intorquet, si retro versus aculeos emittit. Humanis vt idem affert carnibus maxime delectatur: quo circa complures homines interficit, nec duntaxat singulos homines inuadit, sed plures collectos, vel ipse solus interimit. O crudelem bestiam, sed profecto crudelior bestia peccatum mortale, quod corpore crudeliter occiso animam mittit in gehennam, nunquam, ab ea excrucianda cessaturum. Antequam autem si-

Delphinus Crocodilum interimit.

Lib. 4 c. 20

tem finem dicendi faciam, decem vulnera quæ peccatum mortale animæ nostræ crudeliter infert, cõmemorare statui. *Primum vulnus*, est seruitus peccati, & prauæ consuetudinis, qua velut quibusdam vinculis anima crudeliter ligata detinetur. 2. Est cæcitas, ignorantia, & inconsideratio salutarium, qua pericula sua, & quæ sunt vtilia, nec clarè dignoscere, nec satis aduertere anima potest. 3. Est malitia, seu affectus & delectatio peccati. 4. Concupiscentia & inordinata cupiditas terrenorum, & carnalium desideriorum. 5. Cordis duritia, & insensibilitas, qua fit: vt nec vero dolore compungi, nec amore Christi affici, nec quæ spiritualia sunt, sapere & gustare anima possit. 6. Impotentia agendi, aliquid Deo gratum, & meritorum vitæ æternæ. 7. Infirmitas ad resistendum tentationibus mundi, carnis & diaboli. 8. Ad tolerandum probra, penurias, & aduersa. 9. Ad inchoandum, prosequendum, & perficiendum ardua virtutum opera. 10. Pronitas atq; inclinatio ad alia vitia grauiora. O crudelissimum Tyrannum, & immanissimum carnificem peccatum mortale, quod tantis tamque grauibus animam nostram inficit vulneribus. Per sanguinem Christi, obtestor vos Auditores, animas vestras sponsas Christi non patiamini in manus crudelissimas huius Tyranni incidere. sed potius omni ope eius crudelitatem euitare nitemini, quod cum feceritis, conscientiæ salutarem lætitiam, pacemque internam post hæc requiem sempiternam obtinebitis. Vbi regnat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Vnus & Trinus Deus,

AMEN.

ORA-

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica IIII. post Epiphaniam.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Mat. 8.

Summa Concionis.

MEliorem esse conditionem eorum, qui variis turbationum procellis iactantur, quam illorum qui ventis dant sua vela secundis singulari discursu ostenditur.

Mare imitatur naturam lunæ.

DIcit Philosophus, libro de proprietatibus elemētorum, quod mare soleat imitari naturam lunæ, nam sicut adamantem sequitur ferrum, sic mare sequitur lunæ cursum, vnde semper est mare in summo augmento & vigore, quando luna est plena lumine: siue versus cœlum, vt in nouilunio: siue versus terram, vt in plenilunio. Et sicut luna in suo lumine proficit vel deficit: sic mare crescit amplius vel decrescit: simili ratione, si fortuna hominib⁹ fauore & auxilio adest, mundus quoq; illis applaudet, mutato prospero in aduersum statu, mundus subito relictis illis aufugit, hinc merito dicitur. Cum fueris fælix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris. Omnes enim hominem tribulationibus & infortuniis circumdatum abiiciunt, & quodammodo dum ille tumentibus afflictionum vndis, huc illuc iactatur obdormiunt, dissimulantes

mulantes se eorum afflictiones haud animaduertere. Ne autem aliquando tam turpi vitio seducti à via veritatis discedatis, & homines angustiis tribulationum oppressos despiciatis, demonstrabo in hodierna Concione meliorem esse eorum conditionem, quam illorum quos suis fortuna lactat vberibus, & consequenter non esse flocci æstimandos, sed potius ab omnibus debita reuerentia obseruandos, colendosque. &c.

AVE MARIA.

SOrtem horum hominum meliorem esse, quorum vita amaritudine tribulationum, & felle afflictionum repleta est, quam illorum quorum status viuendi dulcedine voluptatum, & prosperitate bonorum temporalium decoratur, pulcherrimis rationibus, quæ tamen in sacra scriptura fundamentum habeant probatur. Quarum. *Prima hæc est.* Melior illius conditio est, qui via ad cœlum ducente currit, quam illius qui via ad infernum dirigente proficiscitur, sed morborum molestiæ, tribulationum angustiæ, aduersitatum procellæ cæteraque vitæ incommoda, viam ad cœlum aperiunt, deliciæ vero ad infernum, ergo 2. Acto. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* 2. Cor. 4. *Id enim quod in præsenti est momentaneũ, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ, pondus operatur in nobis.* Matth. 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, quoniã merces vestra copiosa est in cœlis.* Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in regnum cœlorum.* Igitur in aperto est tribulationes &c. in cœlum proficiscentibus aditum aperire, delicias vero cultores suos in profundissimum inferni barhatrum

Melior conditio lugentium quam lætantium.

Actor. 14.

Mat. 5.
Luc. 24.

solere demergere eiusdem Sacræ scripturæ verbis admodum egregiè confirmatur. Iob. 21. *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Prou. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii occupat luctus.* Quemadmodum igitur melior est eius conditio, qui etsi per viam duris lapidibus plenam, & spinis refertam, sed ad obtinendum amplissimum regnum currat, quam illius qui via spatiosa, sed ad lacum Leonum, & foueam venenosis abundantem progreditur, ita felicior est, qui per multas tribulationes iter ad cœlum arduum quidē & asperum arripit, sed vt possideat regnum æternum, quam ille qui per molles & florentes delicias ad barhatrum inferni discedit, vt quantum glorificauit se in deliciis, tantum illo in carcere habeat luctum, & tormentum. *Altera ratio hæc est.* Homo ille quē Rex honorare cupiens induit eum vestibus regiis, & imponi iubet super equum, qui de sella regis est, & dat regium diadema super caput suum, & primus de regiis principibus & tyrannis ad mandatum regis, tenet equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamat ab hominibus adorandum & honorandum, annon meliori gaudet sorte homine illo, qui veste lacera & vili indutus, ab honestis liminibus arcetur? Ita se rem habere absq; dubio respondebitis. Et ego subiiciam. Qui tribulationum pondere grauissimo deprimitur, vestibus Christi induitur, & per consequens optima ex omnibus conditione potitur. Vestis enim Christi non alia, nisi dolor, labor, tristitia, miseria, paupertas & calamitas. Ps. 63. *Ego sū pauper & dolēs*, & 17. *Circūdederūt me dolores mortis.* Tren. 1. *Videte si est dolor sicut dolor meus.* & Psal: 114.

Iob. 1. Prou. 14. Ester. 6. Psal. 63. 17. Tre. 1.

Dolorem & tribulationem inueni. Verum intuimini illum in cruce pendentem, & videte indumenta eius qualia sint, liuor in facie, spinæ in capite, claui in manibus, lancea in latere, vulnus tumens in corpore, dolor immensus in pectore. hæc eius fuere vestimenta. Crux lignea, corona spinea, claui ferrei, hæc eius fuere monilia. hic solennis Regius apparatus. Si te igitur aliquando dolor aut tristitia vexauerit, Christi te vestimento indutum noueris, si capitis dolor oppresserit, diademate Christi te insignitum scito. Si in te paupertas, nuditas, calamitas, infirmitas, irruerint. age gratias Deo, qui te tunica filii sui Iozeph vestire dignatus est. &c. Magna certe fælicitas, & magni laboris, insignisque alicuius facti prœmium fuit vestibus Regiis indui. Dan: 5. *Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo.* Magna tunc dignitatis prærogatiua exornatus fuit Daniel, sed clariori splendore decorantur illi, qui Christi indumentis Regis æterni in hoc mundo exornantur. Sexto die Alexander in sua aduersa valetudine vehementer afflictus, præclusa voce, exemptum digito annulum Perdicæ strenuo duci tradidit, & quamuis non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus esse videbatur. Sicut igitur ab Alexandro datus Perdicæ annulus, spem illi regnum post eius mortem obtinendi attulit, hoc modo tribulationes quæ fuerunt vera Christi monilia, cui à Christo missæ fuerint, certam fiduciam possidendi regnum Dei concipiat. *Tertia ratio hæc est.* Melior eius conditio esse concluditur, cuius mensæ ad comedendum ea fercula apponuntur, quæ familia-

Psal. 114.

Iustin. li. 12.

res Regis & solus Rex sumere solitus est, quam illius, qui quod comedentibus remansit raptim in angulo deuorat, vt vulgo Poloni nostri loquuntur. Co drużgiemu z wasa spada / to iemu puściżna przypada. Fercula seruorum Christi nō alia nisi fel tribulationum, & amaritudo afflictionum. Psal: 33. *Multæ tribulationes iustorum.* Psal: 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* 2. Tim: 3. *Omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu persecutionem patientur.* sed & ipse Dominus IESVS, non alia fercula sumere cōsueuerat teste Psalmista, Psalm: 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Magnum certe, & omni gratitudine compensandum beneficium, hominem eos cibos manducare, (dum aduersa quæque patienti sustinet animo) quos ipse Christus cum suis Sanctis manducauit. 2. Reg, cap. 9. Ait Dauid

2. Reg. c. 9. ad Miphiboseth. *Ne timeas quia faciens faciam in te misericordiam. &c. comedes panem in mensa mea semper. Qui adorans eum dixit. Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem ei.* Non dispari ratione cum te aliqua tribulationis afflictio cruciauerit. lætare & exulta filia Christiana, quid ita? Exultandum in dolore? Letandum in tristitia? gaudendum in mœrore? triumphandum in paupertate, quis aliquando sana mēte præditus suasit? Ita ego omnino faciendum esse doceo. Tunc enim ad mensam Dei sedes, vesceris pane Christi, & frueris saluberrimis cibis Sanctorum, & hoc an non magna lætitiæ causa? De illis verò qui in omni prosperitate deliciis affluunt dicitur. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum &*

Apocal. *luctum, quia in corde suo dicit. Sedeo Regina & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors,*

luctus,

luctus, & fames, & igne comburetur. Cum aliquando S. Ambrosius Romam proficisceretur, atque in Hetruria à prædiuite fuisset hospitio exceptus, iactabat ille diuitias, familiam, filios, ac prospera omnia, nihilque sibi vnquam accidisse infeliciter. Id animaduertens Ambrosius discessum accelerandum constituit, quod tanta prosperarum rerum affluentia exitum longè infelicissimum habitura foret. Hortatus igitur suos est, vt inde mox omnes secum abscederent, ne iræ Dei furorem experirentur. Abeuntibus omnibus, mox hospes cum reliqua familia, domoq; omni hiatu patente absorpti sunt. Sane ingens argumentum gratiæ Dei trahitur, à rebus aduersis, sicut auersam esse Dei gratiam, ex rebus semper secundis rectè coniicere licet, propterea Bonsignorius Cacciaguera Senen. Sanctissimæ vitæ Præsbyter, cum de tribulatione perferenda libellum conscriberet, vt persuadeat, hanc Diui Ambrosii hystoriam enarrat, semper igitur secundæ res infelices consueuerunt exitus experiri, quod nullo prorsus exemplo adeò perspicuè apertum est, quam memoria repetita de Policrate Samiorum Tyranno, cui nil cōcupitum, nil speratum vnquā fortuna negauit, adeò vt aliquando illi in mentē veniret, experiri velle aliquod incōmodum, si posset: eā ob rem gratum sibi annulum in profundum maris abiecit, sed inimica illi sors effecit, vt captus piscis qui eum deuorauerat, ad ipsius Polycratis culinam, in obsonium deferretur, ex quo inuentus est annulus, sed non diu post ille cruci affixus est, & morte turpissima interemptus. *Quarta ratio hæc est.* Melior est illius conditio, qui quāuis multa mala sustineat, sed tamen paucis post die-

Res scitu dignissima.

Cap: 4.

Finis voluptatum cruciatus.

bus æternam consequitur mercedem, quàm eius, qui post breue tempus deliciarum & prosperitatis mundanæ, subit æternos cruciatus. Res tota ex allato exemplo patebit. Luc. 16. *Homo quidam erat diues qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* Quis harum voluptatum finis? *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*, & ibi vi tormentorum vehementer cruciatus, guttam aquæ suppliciter petit, & denegatur illi, iubeturque meminisse, multa bona se recepisse in vita sua. *Lazarus vero iacebat ad ianuam eius, plenus vlceribus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. &c.* Appropinquauit terminus vitæ eius, & vbi primum vitam cum morte commutauit, portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Quæro ex vobis, cuius melior conditio, Lazari ne, an diuitis? Sine dubio Lazari, qui modico temporis interuallo tribulationes sustinuit, sed postea inuenit animæ suæ requiem. Diues quidem floruit, sed post breue tempus æternis est addictus cruciatibus. Eccl. 11. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum malorum, qui cum venient vanitatis arguentur præterita. Quinta ratio hæc est.* Melior est eius conditio, qui potiorem eligit partem, quam qui deteriorem, sed qui tribulationes forti, & inuicto animo patitur eligit meliorem partem, quippe tribulationes pati melius est, quam prosperitate vti, nam tribulationes hominem in notitiam sui & Dei compellunt. 2. à peccatis præseruant, 3. Augent gratiam. 4. Similem Christo efficiunt qui dicitur vir dolorum. E contra res secundæ hominem in sui & Dei obliuionem inducunt, peccatis implicant, & similem iumentis insipientibus efficiunt. Recte S. Dauid

Lazarus mortuus defertur in sinum Abrahæ.

uid. *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* Et quare bonum? Nam cum à filio proprio tribularetur clamauit ad Dominum, agnouit culpam propriam, & Dei erga se exhibitam gratiã, cum vero otiosus omni affluẽs rerum copia in palatio deambularet, ad adulterium cui postea iunxit homicidium prolapsus, venit in altitudinẽ maris, & tempestas demersit eum. Hinc. B. Petrus propriam filiam Petronillam semper peruersa valetudine affligi voluit. Cum enim quidam valde mirarentur, cur cum alios etiam sola vmbra curaret, non idem beneficium præstaret filiæ, curauit illam quidem ad tempus, iussitque discumbentibus ministrare, sed ministerio peracto, voluit eam ad lectum redire, vtiliorem illi morbi tribulationem quam prosperæ valetudinis fælicitatem insinuans. Beniamin Eremita cum sola oratione alios curaret, noluit tamen seipsum intercutis morbo laborantem curare. Legitur quoque in vita B. Thomæ Cantuarien. Episcopi, quendam scilicet valetudinis recuperandæ causa sepulchrum eius adiisse votiq; compotem factum: deinde dubitare secum cæpisse, num sanitas æque ac prior morbus ad animæ salutẽ profutura foret, itaque ad sepulchrum Martyris rediisse, petiisseq; si sanitas non prodesset in morbum pristinum incideret, atque recidisse. Ergo colligitur ex præmissis tribulationem meliorem esse prosperitate, & consequenter eos feliciores prædicandos, qui tribulantur quam qui in voluptatibus gloriantur. *Sexta ratio hæc est.* Melior est eius conditio qui paruo pretio grande debitum soluit, quàm eius qui in dies plurima debita contrahit. Eccl. 2. *Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata.* & 3. *In die* Eccl. 2. & 3.

tribu- 1. Cor. 11.

tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies soluentur peccata tua. I. Cor. II. *A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Qui igitur pro amore Dei forti animo, aliquas tribulationum aduersitates sustinet, remissionem peccatorum (quæ sunt nostra grauissima debita) consequitur, qui vero gaudio indulget, quotidie peccata viuens in deliciis auget. *Septima ratio hæc est.* Duo adolescentes intrusi sunt, in carcerem ea conditione, vt non pateat vlli eorum egressus nisi mœnibus corruptis, igitur si vnius mœnia ruant, & magna ex parte dissipentur, an non fælicior illo est, cuius carcer integer adhuc manet. Dum sumus in hoc mundo, sumus sicut in carcere, in hoc turpissimo degentes corpore. Cum ergo corrumpitur caro morborum vi, & tribulationum procellis dissoluitur, lœtandum nobis est, nam breui dissoluto carcere, habemus domum non manu factam æternam in cœlis. Ideo concluditur sortem afflictorum esse fœliciorem, quam illorum quos nulla vexat calamitas. Nolite ergo conqueri de statu vestro, ô homines tribulati, nam profecto fælicior est, omni prosperitate mundana. Melior est omni fœlicitate humana, & quod maximum est, regnum cœlorum vestra hæreditas, quam vobis donet, qui sine fine viuit & regnat. AMEN.

Peccata sunt grauißima debita quæ soluere tenemur.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In ea-

In eadem Dominica.

Vt nauis operiretur fluctibus. Mat. 8.

CAusæ quarum ergo tribulationes in malos & in bonos immittuntur singulari conceptuum varietate aperiuntur. *Summa Concionis.*

EST Corallium frutex herbaue, imo mari nascens, de ea ita Solinus capite septimo: Ligusticum, inquit, mare frutices procreat, qui, quantisper fuerint in aquarum profundis, fluxi sunt tactu prope carnulento: deinde vbi supra attolluntur, germinis natalibus derogatis, lapides fiunt, nec solum qualitas illis tantum, sed & color vertitur: nam puniceo protinus erubescunt: ramusculi sunt, quales arborum visimus. &c. Hæc ille. Corallio huic, non aberrabimus, si persimilem dixerimus, viri piam fortitudinem, qua tribulatione exemptus in splendentem quandam animi firmitatem transit: Iob enim fortior surrexit, splendidior ac longe felicior, postquam deuictis aduersis successibus, velut é mari emerserat, quod & Tobiæ accidit; propterea & Paulus dicebat: *Cum infirmor, tum fortior sum.* Inuadente enim tribulatione, ipsis initiis homo mollior quidem est male insuetus, at vbi deuicerit, velut de cœlo confirmatus, id experitur quod Apostoli Hierosolymis: ibant enim gaudentes à conspectu cõcilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Et hæc est causa, cur boni tribulationibus à Deo immissis opprimuntur, vt videlicet fortiores & fæliciores euadant: sunt & aliæ causæ, quibus *Tribulatio facit homines fortiores & feliciores.*

enumerandis, vbi primum enarrauero quare mali tribulationibus diuexentur, occupabor. Fauete solito more.

AVE MARIA.

QVinq; esse causas oculis mentis meæ perspicio, propter quas, homines vitam in peccatis traducentes tribulationum vallo circumdantur, quarum *Prima hæc est.* Per quæ quis peccat, per eadem puniatur, lex ab omnibus lumine rationis illustratis approbata. Homines improbi peccant carnis desideria perficientes, puniuntur eiusdem carnis aduersam valetudinem sustinentes. Peccant diuitias per vsuram & rapinam congregantes, puniuntur earundem iacturam, per ignem, aquam, grandinem, furum & latronum fraudes factam, tolerantes, peccant carnem suam fœtidam oblectamentis deliciarum, & delectationibus voluptatum nutriendo, puniuntur eiusdem carnis tormenta, dolores, cruciatus sufferendo. Peccauit Zacharias lingua, vxorem suam senectute debilitatam, filium nō posse parere Angelo respondens, & se quodammodo verissimæ eius relationi fidem habere nolle demonstrans, & ecce condignam in lingua recepit pœnam, mutus quippe vi diuinæ virtutis effectus, loquelam ad tempus perdidit. Peccauit Achab iniquis Iezabel consortis suæ consiliis annuens, & in cædem viri innocentis Naboth consentiens, & subito eandem moriendi sortem subiturus à Propheta Domini pronuntiatur his verbis. *Hæc dicit Dominus, in loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum,* ac si diceret: peccasti, innocentem per scelus effundendo

Zacharias Pater Ioãnis Baptistæ peccauit lingua in lingua punitus fuit.

3. Reg. 21.

dendo sanguinem, eandem & tu subibis pœnam, nam & tuus sanguis effusus spargetur in terram. Isa. 3. *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant.* Ecce peccata filiarum Sion enumerantur, quæ certè impunitæ non abierunt, sed conuenientem culpæ pœnam sustinere coactæ sunt, quam idem Propheta describit. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum denudabit, & erit pro suaui odore fœtor, pro zona funiculus, & pro fascia pectorali cilicium.* Peccauerunt inquit Propheta carni obedientes, punitæ sunt, eiusdem carnis afflictiones & alia incommoda patientes. *Altera causa hæc est.* Ostendit Dominus omnipotens iniquo peccatori, tribulationibus eum diuexando, in manibus suis esse ius vitæ & necis eius, posseque quocunque temporis interuallo sibi placuerit eum de medio tollere. Dan. 5. *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus mille &c. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat pater eius Nabuchodonosor de templo quod fuit in Hierusalem, vt biberent in eis, Rex, & optimates eius vxoresque eius & concubinæ. &c.* Præclare me dicturum existimo, si per hunc Regem, hominem peccatis seruientem intellexero. Quemadmodum enim ille Rex grege concubinarum cinctus mensæ assidebat, genio indulgens & omni voluptatum dulcedini se totum tradens, vasaque Deo consecrata polluendo & profanãdo: Hoc modo iniquus peccator luxuriosis cogitationibus inhærens, tollit membra Christi, & facit membra meretricis, violans in se, templum Spiritus Sancti & profanans tabernaculum Dei viuentis. Et sicut Rex ille postposito vero & supremo Deo, auro & argento diui-

Qui carne peccant carnis tribulationem sustinent.

Peccator sicut filius prodigus cũ meretricibus luxuriosi viuens omnia bona perdit.

diuinum exhibebat honorem. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, æreos, ferreosque, & lapideos.* Sic & peccatores à Deo per sua vitia auersi, quidam auro congregando, alii ventri obediendo, plerique corpori voluptatibus nutriendo se totos conferunt. Insuper quemadmodum Rex ille visa manu in superficie parietis scribente, subitaneo quodam terrore adeo correptus fuit, vt compages renum eius soluerentur, genua quoque ad se inuicem colliderentur. Non dissimilis euenit sors peccatoribus, qui dum de morte nullam cogitationem in corde retinent, sed potius in multos annos sese huius lucis vsura functuros confidunt, ex subito casu qui valuere ruunt, aduolat mors de improuiso, explodit morborum tormenta, sagittas dolorum infigit, corpus vulneribus excruciat, animam vehementer tribulat. Tunc facies iniquorum commutatur, & cogitationes eorum conturbant eos, vehementique cōcussi timore quid agere debeant, ignorant. Sed attendite quid ad Regem vocatus Daniel Propheta Domini loquatur. *Tu quoque filius eius Balthazar non humiliasti cor tuum. &c. sed aduersus dominatorem cœli eleuatus es. &c. Deos quoque aureos & argenteos. &c. qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt laudasti, porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas non glorificasti.* id est, non agnoscis, nec debito venераris cultu vnum verum Deum, ideo manus eius tetigit te, & hac vehementi tribulatione percussit, & virga ferrea in ira sua confregit, vt ostenderet regnum tuum, & omnia quæ tua sunt, á sua dextra pendere seque esse Regem Regum & Dominum dominātium. Vidistis aliquando subditum Domini sui præceptis contrauenientem, quem cum Dominus eius

funibus

funibus aut baculis excipere iusserit, sine mora ille agnoscit eum Dominum suum, seque postremum seruum eius clara voce profitetur; Dominus vero eum increpando, & verbis durissimis obiurgando, se esse eius Dominum habereque potestatem, omnia in eum tormenta exhibendi manifestat, si in posterum simili contumacia eius mandatis contraire præsumpserit. Peccator dum post concupiscentias, earum vana dulcedine illectus currit, Deo rebellis & inobediens efficitur: sed cum à Domino corripitur, tribulationique vexandus committitur, agnoscit infelix culpam, veniam deprecatur, & ad Dominum toto corde conuertitur, eumque esse suum Dominum, creatorem, redemptorem, benefactorem supplici voce confitetur. At Dominus Deus cordi eius per inspirationem insinuat, si in posterum similibus vitiis se tradere tentauerit, maiora in eum tormenta ab ira sua exhibenda. Et hæc est altera causa, propter quã homines peruersi tribulationes patiuntur. *Tertia causa hæc est.* Ostendit Deus homini quam atrox eum in inferno pœna maneat ac si diceret. O peruerse peccator, si te bonorum temporalium repentina amissio vehementer affligit, ô quanta afflictione in inferno opprimeris, cum te bonorum cœlestium possessione priuatum recordaberis? O inique peccator nunc vide, & diligenter tecum considera quam ingenti tormentorum infernalium vi excruciaberis: si enim tibi febris breui durans tempore adeò molesta & grauis est, vt eam quam primum omni medicamentorum leuamine expellere studeas: ô quam molesta flamma æterna inextinguibilis & in æternum durabilis erit? Si tibi lectulus floridus molliterque stra-

Homo in tribulatione facile conuertitur ad Dominũ Deum: quippe cum tribularer inquit Psalm. ad Dominũ clamaui.

tus molestiam parit intolerabilem, & graue tibi videtur, quod decumbas infirmitate impeditus, nec ad homines egredi, & cum illis solitis occupationibus incumbere valeas: ô quanta in inferno molestia erit, cum subter te vermis, & super te tinea sternetur. Si tædio consumeris, aduersæ valetudinis longam afflictionem sustinens, etsi tibi amicorum ingens numerus astat varios consolationis modos suggerentium. O quale tædium erit in inferno, vbi nullus finis tormentorum, nullus terminus malorum, nulla requies, nulla consolatio, nulla congregatio amicorum. Si te ingens vexat afflictio, etsi in cubiculo pulchre exornato ægrotes, ô quanta afflictio aderit, cum ingressus fueris terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Si tibi molesta & ad tolerandum grauis paupertas, nuditas, calamitas, at in inferno tanta egestas, vt ne guttam aquæ impetrare poteris, tanta calamitas, vt nullum vnquam subsidium & auxilium habueris, tanta inopia, vt præter sulphur & ignem, vermes & bufones, ne herbam quidem ad manducandum inueneris. O quam molesta illa paupertas & tribulatio erit. *Quarta ratio hæc est.* Vt per hoc animus peccatoris ab amore temporalium bonorum auocaretur ad amanda æterna.

Chrysosto. hom. 6. ad popul. Antioch.

Si enim inquit S. Chrysostomus, *cum sunt tot tristia, tot pericula, & curæ, tam libenter præsenti immoramur vitæ: si nihil horum esset, & omnis ærumnæ expers esset vita nostra, quando vnquam futura desideraremus? Sic Deus permisit Iudæos lateritio opere, & luto in Ægypto grauari, vt ærumnarum magnitudine cruciati ad Deum clamarent*, & ad terram promissam aspirarent. Exclamat S. Augustinus & inquit. *Amarus est mundus, & diligi-*

diligitur mundus, puta si dulcis esset, qualiter amaretur? turbatur mundus, & amatur mundus, quid si tranquillus esset mundus? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non reuocas manum? Quinta causa hæc est. Vt homo tribulatione oppressus agnoscat peccata sua, Prou. 29. *Vexatio dabit intellectum, virga atque correptio tribuit sapientiam.* Fratres Ioseph, non ante cognouerunt sceleris sui, in eum patrati atrocitatẽ, quàm cum in afflictione dicerent. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Et Rex Nabuchodonosor beneficio tribulationum obtinuit, vt verum agnosceret Deum. Filius quoque prodigus cauterio earundem inustus, agnouit miseriam suam, & ad domum paternam reuersus est. Afferam vobis rem auditu iucundissimam. Scribit Egnatius de Paleologo Secundo Constantino Imperatore, qui ægrotus nullis naturæ auxiliis conualescere potuit, sed contrariis. Tradit igitur in illius vita, ipsum exacto quadragesimo ætatis anno, adeo graui morbo laborasse, vt integrum ferme annum lecto decumberet, magno Reipublicæ incommodo, necquidquam medicorum arte illi valetudini præualente. A mulierculæ cuiusdam consilio Imperatrix didicit, virum conualescere non posse, nisi acribus ac importunis molestiis continue vexaretur, eo enim modo dilapsuros humores, vnde ægritudo manabat. Imperatrix cœpit Paleologum virum vexare incredibilem in modum, vix vlla re obsequens ei. Frequentibus igitur vexationibus discussis humoribus, caloris augmento, adeo Imperator conualuit, vt viginti quibus postea vixit annis semper incolumis extiterit. Non dispari ratione tribulationes, persecutiones, afflictiones homines facili negotio, ad sanitatem mẽtis

Augustinus sermon. III. de tempore, & 149.

Gen. 24.

tis perducunt. Enumeratis causis, ob quas mali & peruersi homines tribulationibus variis affliguntur, restat vt aliquas in medium proferamus rationes, quare homines iusti & boni, diuinis semper obtemperantes præceptis, sæpenumero multis vitæ incõmodis opprimuntur. Et quidem. *Prima hæc est*, vt sic

Eccl. 27. probetur virtus iustorum. Eccl. 27. *Vasa figuli probat, fornax & homines iustos tentatio tribulationis.* Prou. 17. *Sicut*

Prou. 17. *igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* & Tobi. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse erat vt tentatio probaret te. Altera ratio hæc est.* Iustos & probos idcirco

Percutitur canis vt timeat Leo.

Dominus amaritudine tribulationum cibare consueuit, vt id animaduertentes homines pessimis sceleribus dediti timore concutiantur, & tandem ad meliorem reducti mentem intra se loquantur. Si hi, quorum vita nullis scelerum maculis deturpata est, sed potius omni nitore sanctitatis & splendore virtutum illustrata, sicut candela supra candelabrum posita lucet, & tamen multa mala Deo sic permittente patiuntur, ô quantopere nobis metuendum est, ne multorum peccatorum conscii breui multa incommoda, id diuina iustitia exigente experiamur, si hæc in viridi quid in arido? Offenderat olim Dauid Deum omnipotentem, graui superbiæ peccato, & immisit Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum. *Dixitque*

Dauid peccauit & populus eius punitur, vt Dauid timore concutiatur.

Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum. Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi, isti qui oues sunt quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei. Percutiebatur ab Angelo, & moriebatur morte subitanea populus innocens, vt sibi metueret, & reatum

tum suum agnosceret Rex nocens. Hoc modo cum iniquus animaduertit iustum, assiduis malorum molestiis vexari, pauore correptus in hæc aliquando, prorumpit verba. Iste quid mali fecit? quando legem altissimi violauit? & tamen multis plagis vapulat. Ego qui peccaui & inique egi, ô quam graues debeo sperare pœnas. *Tertia ratio hæc est.* Iustos homines, & quibus cordi virtus est, ideo Deus Omnipotẽs tribulationibus affligit, vt aliis qui iustissime pœnas dant, patientiæ exemplum præbeatur, ne à Deo in angustias afflictionum proiecti, in profundissimam desperationis foueam lapsi ruant, neue ad Deum blasphemandum, & de eius nimia seueritate conquerendum conuertantur, sed vt potius animaduertentes sanctos, etsi nulla mortalis peccati labe coinquinati sint, multa tamen mala patienter perferre, ipsi eorum patientia, & fortitudine ad sustinendas omnium calamitatum miserias instituantur. Tob. 2. *Contigit autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormiuisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent, super oculos eius, fueritque cæcus. Hanc autem tentationem ideo permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob.* Manifestum igitur est, Sanctos & probos viros tribulationibus ideo affligi, vt cæteris exemplo patientiæ præluceant. *Quarta ratio hæc est.* Vt homo positus in tribulatione, reducat sibi in mentem Christi tribulationes, quas amore nostro flagrans, in cruce moriens sustinere non erubuit, & dicat. Ego quidem iusta factis recipio prœmia, at Christus Dominus nulli vnquam obnoxius culpæ, multis afflictus malis, medius inter duos latrones moritur, opprobria, sitim, flagella,

Iusti puniuntur vt in iusti ad patientiam in suis plagis inducantur.

Tob. 2.

gella, omniaque dolorum genera patitur, idcirco & ego hanc crucem tribulationum, quam meis humeris portandam imposuit, fortiter eum sequendo gestabo, vel potius si placet cum S. Augustino sic Christum alloquatur. Quid cõmisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? quid commisisti amãtissime iuuenis, vt adeo tractareris? quod scelus tuum? quę noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris: tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum: tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis liuor: tui cruciatus labor. O mirabilis cęsuræ conditio: & ineffabilis mysterii dispositio. Peccat iniquus, & punitur iustus, delinquit reus, & vapulat innocens, offendit impius, & damnatur pius, quod meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat seruus, exoluit Dominus, quod committit homo sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagrauit charitas? quo processit pietas? quo excreuit benignitas? quo tuus attigit amor? quo peruenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris, ego facinus admisi, tu vltione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subiiceris: ego superbiui tu humiliaris, ego tumui tu attenuaris, ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis, ego gulæ parui, tu inedia afficeris, me ad illicitam rapuit concupiscentia arborem, te perfecta charitas ducit ad crucem, ego præsumpsi vetitum, tu subiisti aculeum, ego delector cibo, tu laboras patibulo, ego fruor deliciis, tu laniaris clauis, ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. &c. Quid ergo retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi. Si enim aliquas tribula-

August. cap. 7. meditationum.

tribulationes tuo amore ductus patior, respectu dolorum tuorum nihil est, sed tamen quidquid mali euenerit super caput meum, id forti animo pro nomine tuo sustinebo, modo tu adsis auxilio. Cui laus vna cum Patre, & S. Spiritu, sit in sæcula sæculorum. AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica V. post Epiphaniam.

Seminat bonum semen. Mat. 13.

OMnes qui verbum Dei non audiunt, sine dubio cœlum non ingressuros, firmissimis rationibus comprobatur. *Summa Concionis.*

BOnum semen in cordibus hominum seminant Prædicatores, diuulgando verbo diuino inhærentes, sed subito superseminatur Zizania, quippe malus dæmon omnem mouet lapidem, & ad id omne suum studium, curam, & diligentiam adhibet, ne hoc semen in cordibus hominum, aliquos fructus producat, sed extemplo crescentibus, inutilibus Zizaniæ herbis suffocatum maneat. Efficit & hoc suis callidis consiliis, ne homines verbo diuino audiendo adsint, sed potius illo integro temporis interuallo, vanis fabulis, spectaculis, iocis aliisque his similibus occupationibus, in plateis detinean-

Diabolus conatur auertere homines ab audiendo verbo diuino.

tur, aut si iam ædes sacras ingressi fuerint, facile inde euocentur, vt in vita S. Antonii de Padua. Cap. 29. apud Surium legitur. Cum enim aliquando D. Antonius à Padua concionaretur, tum præsens Nobilis domina auide verbum Dei audiebat, quod cum non ferret impurus Sathan, vt fructum Concionis ab ea excluderet, cursoris speciem præseferens ad eam cum literis venit, atque filium eius ab hostibus captum, & interfectum esse narrauit. Eas maligni hostis versutias spiritu cognoscens vir Dei, coram omnibus dixit: Nihil timeas domina, filius tuus viuit, & recte valet, cursor autem ille diabolus est, ad quas voces instar fumi ille egregius cursor euanuit. Ne igitur facile ab audiendo verbo Diuino vos auocari, & auditum è cordibus vestris amoueri patiamini, decreui in hodierna concione manifestis demonstrare rationum argumentis, neminem qui verbum Dei non audiat, regnum Dei intraturum. Fauete.

Surius in vita S. Antonii de Padua.

AVE MARIA.

HOrtus etsi vndique septus, & excultus fuerit, si illum pluuiæ vberrimæ, vel roris refrigerium non irrigauerit, nulla fertilitatis lætitia, Patremfamilias recreabit, sed potius sterilitatis tristitia, eius præcordia vulnerabit. Hoc modo si homo variis naturæ, & animi donis insignitus, & in oculis hominum sanctitatis cuiusdam, & probitatis splendore conspicuus fulgeat, si rore diuini eloquii frequenter non irrigatur, talis dignos fructus pœnitentiæ nequaquam afferre poterit, & cōsequenter regnum cœlorum obtinere non valebit, non enim vacuis manibus

Sine pluuia nullus hortus fertilis, nec anima sine rore diuini eloquii.

Hortus conclusus soror mea sponsa.

manibus quiſpiam in conſpectu Dei apparebit, ſed illi tantum, qui venientes venient, portantes manipulos ſuos cum exultatione. Quod autem verbum Dei ſit, ros, & pluuia, audite S. Greg. ita loquentem. *Si enim prædicationis ſermo pluuia non eſſet. Moyſes minimè dixiſſet, expectetur ſicut pluuia eloquium meum, & nequaquam per Iſaiam veritas diceret. Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam, imbrem.* Sicut enim pluuia, facit exire de terra, vermes, bufones, & herbas, ſic verbum Dei peccata ex corde humano pellit, cogitationes carnales euellit, ſancta propoſita germinat. Leu. 26. *Dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & agri gignent germen ſuum.* Anno D. 1137. Tanta fuiſſe ſiccitas perhibetur, vt fontes, & putei exſiccarentur, & quidam ignis ſubterraneus apparebat, omnia exurens, ſic abſente pluuia diuini eloquii omnia ſiccitas aridæ malitiæ depopulatur, nullæ virtutum viridantes herbæ, non lilia caſtitatis, non flores ſuauiſſimum ſanctitatis odorem ſpirantes, in homine cernuntur, putei quoque diuinæ ſapientiæ, & gratiæ exſiccantur. Omnium bonorum cœleſtium dona amittuntur, ſolus homo aridus nullum retinens diuinæ gratiæ humorem remanet. 3. Reg. 18. *Dixit Elias ad puerum ſuum Aſcende. & proſpice contra mare. &c. In ſeptima autem vice. ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. &c. & ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis. &c.* Sic audire verbum Dei, quibuſdam res parui momenti eſſe videtur, ſed profecto verbum Dei eſt pluuia grandis, producens omnem herbam virtutis. Ager quoque omni arte agricolarum ad proferendos fructus diſpoſitus, ſi ſemen illi iniectum non fuerit, nullas ſegetes lætas, ſed gramina, tribulos, ſpinas, herbas inutiles.

Lib 9. Moral. ca. 6.
Deut. 32.

utiles, quæ postea pabulum fiunt bestiis, vel arefactæ in ignem mittuntur, procreat. Sic & homo sit compositis moribus grauis, modestia conspicuus, boni nominis gloria illustris: si semen verbi Dei in cor eius non cadit, talis sine fructu tempore messis inuenietur, & manipulis zizaniæ alligatus, igni æterno cremandus deputabitur. Recte autem verbum Dei assimiliari semini, Magister Ioannes de S. Gemin. his verbis ostendit. Verbum Dei inquit, assimilatur semini secundum illud. Luc. 8. *Semen est verbum Dei.* Primo, propter virtutem attractiuam: quia sicut semen ad se attrahit humorem terræ: ita verbum Dei attrahit affectionem animæ, & sic attrahebatur Dauid dicens. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*, & Petrus dicens Ioa. 8. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Secundo, propter virtutem mundificatiuam, propter semen enim terra mundatur, & ipsum etiam terram mundat trahendo ad se humorem, qui alias in malas herbas conuerteretur. Similiter etiam verbum Dei mundat, & purificat animā. Heb. 1. *Verbo virtutis suæ purgationem faciens.* Ioan. 15. *Vos iam mundi estis propter sermonem.* Tertio, propter virtutem assimilatiuam, quia non ex quolibet semine quodlibet generatur; sed ex simili semine vt dicitur 1. Physicorum: sic ex tritico triticum, ex hordeo hordeum & sic de aliis. Vnde quia verbum Dei semen Dei est, ideo facit homines similes Deo. Ioa. 10. *Illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est.* Quarto, propter virtutem germinatiuam sicut hortus semen suum germinat, sic generatio & natiuitas spiritualis habet fieri per verbum Dei. 1. Petr. 1. *Renati non ex semine corruptibili: sed incorruptibili per verbum Dei.*

Verbum Dei recte dicitur semen.

Luc: 8.

Ioan: 8.

Heb: 1.

Ioan: 10.

1. Petr. 1.

Dei. Quinto, propter virtutem promotiuam: quia illud quod ex ſemine gignitur paulatim: ex virtute quæ eſt in ſemine ſemper perficitur & augetur. Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, inſuper plenum fructum in ſpica. Semen eſt verbum Dei, fructificat herbam in incipiētibus, ſpicam in proficientibus, plenum fructum in perfectis, ſiue perſeuerantibus. Sexto, propter virtutem multiplicatiuam, quia ex vno grano ſeminis multa generantur. Et ſimiliter verbum Dei ſecundum illud Matth: 13. *Audiunt verbum, & ſuſcipiunt, & fructificant.* Cibum qui recuſat non modo intra fauces ſumere, ſed ne guſtare quidem, certum eſt eum hominem vitam cum morte commutaturum. Cibus animæ ſermo Dei eſt, Deut: 16. *Quoniam non natiuitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus, hos qui in te crediderint, conſeruat.* Luc: 14 Dixit diabolus ad Dominum: *Si Filius Dei es, dic vt hi lapides panes fiant.* Cui Dominus: *Scriptum eſt, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Igitur qui hunc cibum reſpuit, ſignum certum eſt, & euidens argumentum, eum hominem æternam oppetiturum mortem. Olim dixerunt Iudæi: *Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, noluerunt illi manducare manna ſuauiſſimum, ſignum erat mortis eorum futuræ. nam ſtatim ſequitur: *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum venerunt ad Moyſen, &c.* Sic qui hunc panem ſuauiſſimum deſpiciunt, ab ignitis ſermonibus, qui ſunt mali dæmones, variis tormentorum generibus, in vmbra mortis æternæ cruciabuntur. Euadere poſſe ſaluum & incolumem, inter hoſtes armatos, hominem inermem, incredibile eſſe nemo non videt.

Ezech: 3. *Comedi volumen, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.*

Num: 21.

Vita nostra militia est super terram, obnoxia quotidianis incursionibus & insidiis hostium, quibus superatis, nemo victor in cœlum euadet, qui postpositis huic bello peragendo idoneis armis in aciem progressus fuerit. Arma nostra sunt. Verbum Dei, hoc armatus Christus Dominus dæmonem in eremo profligauit, & eius omnia aduersus se proiecta tela illæsa mente reiecit, & confregit Cant: 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ædificauerat Dauid turrim in monte Sion cum propugnaculis, & armis. Nunc Christus Dominus illi comparat Ecclesiam suam, quem autem vocat Ecclesiæ collum! per collum viri docti Concionatores interpretantur, nimirum quia sicut collum organum vocis est, sic & Concionator organum vocis Dei est. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* Arma igitur quæ ex hac turri pendent, quid aliud sunt, quam verba concionatorum. Quibus homo armatus cum in aciem descenderit, fortis & inuictus stabit, etsi contra eum portæ inferi consurrexerint non præualebunt. Veniat superbia, & iactabunde homini verbum Dei libenter audienti, vt se cæteris præferre velit, persuadeat. Confestim ille subiiciet Scriptum est & toties in Ecclesia per Prædicatores proclamatum: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*, & sic de aliis vitiis. Soli prædestinati intrabunt in regnum cœlorum, iuxta illud. Rom: 8. *Quos prædestinauit hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Qui nolunt audire verbum Dei prædestinati non sunt, ergo non intrabunt regnum cœlorum, nam *Qui ex Deo est, verbum Dei audit. vos propterea*

Inermis miles occumbat in acie necesse est.

Can: 4.

Per Prædicatores Christus loquitur.

pterea non auditis, quia ex Deo non estis. id est, certum & euidens signum est illos esse filios Dei, qui libenter audiunt verbum Dei, ergo contrarium verum erit, qui non audiunt filios esse diaboli. Sanctus Chrysostomus. Sicut esurire corporalis sanitatis indicium est, ita studio magno audire verbum Dei, bonæ animæ valetudinis certissimum est argumentum, propter quod & Dominus noster IESVS Christus dicebat. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Is enim Domini nostri mos est, vt quoties videt animam aliquam multo desiderio, & promptitudine intenta, spiritualibus inhiantem, liberaliter eam gratia & opulentis suis locupletat donis. Ita ille. Venit aliquis ex Polonia in Italiam: & ecce magna Polonorum multitudo ad eum confluit, quo in statu patria sit, requirunt, amici, & propinqui, aliique cognati prosperone an aduerso flante vẽto nauigent, interrogant, multaque alia, quæ in patria agantur scire desiderant: illi ad omnia respondenti aures attentissimas præbent, gratias agunt, conuiuio excipiunt, & hi omnes de Patria cogitare, & desiderio eam videndi ardere conuincuntur, qui vero nec interrogant venientem, neque audiunt referentem, contempsisse eos patriam, nec eius fines velle videre concluditur. Hoc modo qui concionatores de futuro Christianorum in cœlis, de gloria cœlestis Patriæ, de præmio bonorum, tractantes, & verba facientes libenter audiunt, anhelare eos, ad superna gaudia in promptu est, si vero ab audienda concione abstrahuntur, flocci eos facere, regnum cœlorum liquido constat. Qui longam peregrinationem eamque obnoxiam multis latrociniis suscipit,

Fames diuini verbi signum gratiæ & prædestinationis.

Matt. 5.

Simile.

ignorans viarum difficultates & pericula, & tamen accingit se itineri sine comite, qui eum de periculis in illa peregrinatione frequenter occurrentibus instruat, nec etiam sibi consulentes, & varia discrimina manifestantes audit, sed sibi ipsi confidens viam cæptam ingreditur, talis sine dubio erit præda latronum. Missurus olim Tobias filium in Rages, non patitur solum abire, sed ait illi. *Perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua. &c. Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum stantem præcinctum & quasi paratum ad ambulandum. &c.* Quoniam vero societati Angeli munitus peregrinationem illam, Tobias suscepit, & illius instructioni omni tẽpore sese obedientem præbuit, feliciter longissimi itineris molestias transiit, & optatis gauisus rediit ad parentes, multisque verbis suam maximam fælicitatem à Comite itineris in se profluentem demonstrans. *Me* inquit *duxit & reduxit, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, me ipsum à deuoratione piscis eripuit.* Optime Angelus Prædicatores & Doctores Ecclesiæ denotare dicitur, ad quod demonstrandum reducenda nobis in memoriam est visio, S. Ioannis Apoc. 10. cap. *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, &c. & habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem dextrum super mare, sinistrum vero super terram.* Doctor & Prædicator debet esse eruditus, videlicet in Sacra scriptura: quod notatur per hoc quia ille Angelus habebat librum apertum. Item debet esse bonis intentus operibus, vt quod ore prædicat opere impleat: quod notatur per hoc, quia Angelus habebat librum in manu. Item debet esse discretus, quia aliter debet prædicare carnalibus & peccatoribus,

Peregrinanti audiendi sũt testes illius itineris.

Magna commoda ex societate Angeli

Angelus Prædicatores & Doctores designat.

ribus qui significantur per mare: & aliter iustis, firmis, & fructuosis qui significantur per terram. Sed sicut Tobias nisi Angelicæ voci in omnibus obtemperasset, sine dubio multis periculis obnoxius remãsisset, & à dæmonio interemptus fuisset. Sic omnes qui nolunt audire Prædicatores, verbum Dei disseminantes à malis dæmonibus perimendos, & æternæ seruituti adiudicandos sit necesse. Impossibile est aliquem transire multa itinera sine potu, potissimum maximo feruore solis, omnia exurente. Idque ita se rem habere vnicum probabit exemplum. Duo iuuenes per Lybiæ deserta perrexisse memorantur, alteri erat aquæ vasculum, quo in arenti solo refocillaretur, alter qui nihil sibi præpararat, velut de lõgissimo & arentissimo itinere nihil cogitans, maxima est siti correptus. Hic igitur cum plurimùm auri possideret, lõge scilicet vltra decem aureorum nummorum millia, inopem sese animaduertit, quod paululum aquæ sibi mortem allaturum esset: putauit autem consultius sibi esse, aquæ modicum possidere, quam auri tantam massam; obtulit igitur Comiti decem aureorum millia, si sibi aquæ vasculum exhiberetur: ille auri ductus cupiditate, se aqua qua plurimum ipse quoque egeret, auro accepto priuauit, eaque mercimonia vtrique exitium tulere, vt neque ementi aqua profuerit, defunctus enim est etiam siti, neque venditori aurum, quandoquidem etiã siti defunctus in ipsa arena memoratur cum emptore. Id accidisse in deserto Asaord, vbi extat marmoreum sepulchrum, vtrique extructum, literis exsculptis rem hanc significantibus Leonius tradit part. I. Currendum homini Christiano est per æstus

Simon Maiolus de Conting.

Magno pondere auri aqua emitur.

libidinis, per ardores concupiſcentiæ, per flammas auaritiæ, per ignem iracundiæ, ſi ab aqua diuini eloquii refrigerium non hauſerit, ſiti fatigatum perire neceſſe erit. Pro. 18. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans ſapientiæ.* Duo fontes dicuntur eſſe, alter Lethi cuius aquam deſcenſuri ſi haurirent, omnium daretur obliuio, Alter memoriæ ex cuius hauſtu omnium quæ vnquam vidiſſet recordatio ſubiret. Sic fons ſalutaris verbi diuini inducit obliuionem rerum mundanarum, & affert memoriam bonorum cœleſtium. Perhibentur etiam fontes eſſe, qui accenſos extinguant faces, extinctos vero accendant. Sic verbum Dei extinguit corda humana, libidinis ardore inflammata, accendit vero tenebroſis peccatorum maculis inuoluta. Igitur o Chriſtiani: ſitis veloces ad audiendum verbum Dei, quod facere ſi neglexeritis, animabus veſtris fame pereundum eſt, verbum enim Dei cibus eſt, & ſalutare alimentum animæ. Verbum Dei lucerna pedibus veſtris, & contra venenum peccatorum medicina ſaluberrima. Verbum Dei potentiſſima contra tentationes tela, contra malos dæmones fortiſſima propugnacula, contra omnes hoſtium incurſiones validiſſima arma. Accipite ergo gladium ſalutis, quod eſt verbum Dei, bibite aquam viuam, omnes libidinis ardores extinguentem, fiet, vt in hac peregrinatione felicem ſucceſſum, & poſt hæc regnum cœlorum habeatis.

AMEN.

SECVN-

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Nonne bonum semen seminasti, vnde ergo habet zizania. Mat. 13.

CAusæ aperiuntur, quare cum bonum semen in cordibus hominis per Prædicatores seminetur, nulla adest fertilitas, sed herbæ inutiles & steriles. *Summa Concionis.*

MVltas ego causas lumine rationis perspicio, quarum beneficio Deus Omnipotens peccatores multum diuque in prosperitate viuere patitur, nec eos pro mensura delictorum subitanea morte correptos, æternæ adiudicat damnationi. Empti enim sunt pretio magno, sanguine videlicet Christi Domini pretiosissimo; ne igitur tantum pretium sine fructu maneat, Deus peccatoribus indulgere consueuit. 2. Adhæc magna sanctis & piis viris hinc oritur gloria, cum inter malos nulla peccati labe sanctitatis nitorem maculant, & tangentes picem non coinquinantur ab ea, vt dicitur de Tob. 1. *Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini. &c,* 3. præterea maior gloria medico tribuitur, cum lethali vulnere affectum pristinæ sa-

nitati restituit, quam cum leuiter ægrotanti ad recuperandam salutem adiumento est, sic maior hinc Deo oritur honor, cum eius beneficio ille qui mortuus erat, ad vitam reducitur. Tunc maius gaudium coram Angelis Dei supra vno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis. Quod si etiam, vbi primum homo peccatis perpetrandis sese tradidit, diuino furori subiaceret, eradicaretur triticum, multi enim barathro damnationis absorpti fuissent, qui postea dolore peccatorum suorum puncti (qualis fuit Magdalena, Paulus, Petrus, & Matthæus) fideles in Dei seruitio permanserunt. Sed & hæc causa, quæ sequitur non est postrema. Vult insinuare Deus Omnipotens, se nolle mortem peccatoris iuxta verba Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors peccatoris, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* Cæterum pro nunc hac materia dimissa, ostendam causas, quare cum bonum semen in cordibus humanis per Prædicatores seminetur, nulla tamen fertilitas adest, sed herbæ steriles & Zizania.

Propositio.

AVE MARIA.

INprimis semen verbi diuini, nullos fructus dignos horreo cœlesti proferre, in cordibus quorundam hominum, in promptu causa est. Quia dormiunt homines; quem enim somnus suauis & grauis complectitur, ille non audit loquentes, non videt sibi adhærentes, nec alloquitur interrogantes, sed quasi semimortuus iacet. Homines Christiani, & quidem permulti dum seminatur verbum Dei, in vtráq; aurem dormiunt, quippe non vident, non loquuntur,

Somnus mortis imago.

tur, nec audiunt. Psal 113. *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. &c.* Non enim audiunt, vt ad meliorem mentis sanitatem reuocentur & ædificentur, sed vt aliquam subtilitatem conceptuum videant, discursum cognoscant, methodum intelligant. Isa. 30. *Nolentes audire legem,* & Ezech. 33. *Audiunt sermones, & non faciunt,* & Acto. 28. *Aure audietis, & non intelligetis.* Non etiam vident, nam oculos mentis & contemplationis, non conuertunt ad verba, per Prædicatores prolata, & ad perscrutanda latitantia in illis mysteria. Isa. 33. *Claudit oculos suos ne videat.* Dan. 13. *Declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum.* Non etiam loquuntur, nam absoluta Concione domum redeuntes, nullam mentionem Concionis auditæ faciunt, sed ad iocos, & fabulas conuertuntur. Pro. 24. *Fraudes labia eorum loquuntur.* Ad hæc audita Concione feruenti, inimico venienti, absque omni mora facilem in corda sua præbent aditum, vt dicitur in Euangelio. *Venit inimicus, & superseminauit Zizania.* Vbi per hoc verbum venit, insinuatur eum sine difficultate susceptum fuisse, non vi irrupisse, nec longa obsidone cepisse, nec vigiliis, & custodia deterritum abscessisse. Luc. 8. *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt verbum Dei, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.* Adsunt quidem Concioni, compunguntur salutari dolore, gemunt, & iam se ad vitam meliorem conuersuros pollicentur, sed ecce exoritur tempestas, contegit nebula phœbum, venit titillatio carnis, & ecce subito recipitur, consentitur fornicationi, libidini ianua aperitur. O nimiam Christianorum in depellendis tentationibus negligen-

Coaceruant sibi Magistros prurientes auribus, & ad fabulas conuertuntur auditum à veritate auertentes.

Mat. 13.

Luc. 8.

Facile consensum præbent homines tentationibus.

negligentiam. Cur non potius fortiter resistitis circuienti diabolo? quare capitali inimico tam facile manus ligandas exhibetis? Cur vltro faucibus teterrimi draconis, vosmetipsos tradere non erubescitis. O extremam quorundam Christianorum dementiam. Deuicto Pompeio Cæsar Iulius, Magno Alexandro rerum gestarum magnitudine non dissimilis, ad ostendendam suam fortitudinem, & militum suorum promptitudinem, & pusillanimitatem exercitus Pompeiani, huiusmodi ad Senatum perferri literas curauit. *Veni, vidi, vici.* Non dispari ratione teterrimus dæmon elatos assumit spiritus, & se iactabunde extollit & ait. Veni, vidi, vici; suggessi, consensum præbuit, subieci scintillam, & creuit in magnum incendium, suasi, & omnia fecit. O me egregium victorem. Et quod maius est, hoc ipso die Concioni audiendæ, ille quem vici adfuit. Væ vobis pessimi homines. Et siccitas sterilitatem affert, nec semen ab ea impeditum fructus aliquos generat, vt est nobis exemplo triennium, quo in Galad Palæstinæ nunquam pluit. 3. Reg. c. 17. Sed nunquam tāta fuisse traditur, quanta in Gallia, quandoquidem & fontes, & putei exsiccati sunt, vt Robertus de monte tradit. Anno D. 1137. In Prouincia quoque Astralium Saxonum, toto nunquam pluit triennio, dum in infidelitatis tenebris obuoluerentur, mox suscepta Christi fide, ac diuino baptismate; pluuiæ in tantam copiam ingruerunt, vt campi fæcunditate vbique exuberarint. Siccitas denotat, ardores libidinis, flammas concupiscentiæ, æstus iracundiæ, quæ omnia exsiccant in homine, fontem pietatis, pluuia vero recte denotat diuinæ gratiæ humorem.

Robertus tradit.

Beda Angl. Histo. li. 4. cap. 10.

Ezech.

Ezech. 34. *Et ponam in eis incircuitu collis mei benedictionem, & dicam & deducam imbrem in tempore suo, & pluuiæ benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum.* Sicut igitur absque pluuia semen grani nullum profert fructum, sic in corde humano, non habente humorem diuinæ gratiæ, semen verbi diuini aridum manet, nam *Gratia Dei sum id quod sum.* Venti etiam vehementer flantes impediunt, ne semen dignos proferat fructus. Ezech. 19. *Et euulsa est in ira, in terramque proiecta, & ventus vrens siccauit fructum eius, marcuerunt & arefactæ sunt, virgæ roboris eius.* De ventis multa scitu dignissima referunt Naturalistæ. Ventus Circius, vertiginosus natura est, armatum hominem, plaustrum oneratum propellit, impedit omnem plantam ne crescat, murorum atque Ecclesiarum tecta, etiā plumbea, ingentes quoque trabes, extractas longissime transfert: quin & ipsa molendina, cum molari ipso lapide, totoque tecto, inclusis etiam hominibus, & ipsis illæsis procul asportat: sicut & vrbanas domos integras in agros effert, oppida destruit, & quod videtur incredibile, in mari sub nauibus aquam, quadam ratione commouet, atque ab aquis ipsis nauem extrahit, & in sublime attolit, & deinde remittit, animalia obuia & saxa in sublime eleuat, & ad casum auersum demittit. Ventus iste inconstantiæ certissimum indicium. Iac. 1. *Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur,* & Sapien. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, esto firmus in via Domini.* & Hebr. 12. *Non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Matt. 11. *Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam.* Multi enim sunt qui audiunt verbum Dei, & cum gaudio suscipiunt

1. Cor. 15.

Aul. Gel. li. 2. ca. 22.

Eccl. 5.

illud, sed radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, sancta proposita ædificant in cordibus suis, sed flauerunt venti inconstantiæ, venerunt flumina & tulerunt domum illam. Et tantæ quidem virtutis, ventus iste inconstantiæ esse quotidiano vsu cognoscitur, vt potis sit omnium virtutum fundamenta eradicare, euellere, & disiicere in cordibus eorum, qui se flatu eius agitari patiuntur. Sed & tempestatum ingentium procellæ maxima sunt seminis impedimenta. Memorat Priscus tam ingentem pluuiam Constantinopoli, & in Bythinia extitisse, vt ad tres aut quatuor dies aquæ instar fluuiorum de cœlo præcipitarent, & montes illarum violentia in planitiem deprimerentur, quin etiam sic obruerentur pagi, vt in exitii discrimen venirent, inque Boana lacu, qui non longe abest Nicomedia, ob crebram, sordidam cuiuscunque generis materiam in eum congestam, nonnullæ fierent insulæ. atque hæc quidem sub Leone Imperatore: quæ totidem fere verbis recenset Nicephorus lib. 15. c. 20. Illa ipsa Constantinopolitana vrbs, posterioribus quoque sæculis sua ob crimina, eandem cladem experta, rursum memoratur. Anno enim Christi. 1490. quando Turcicum iugum iam diu ferebat, auctis magnum in modum culpis duodecima Iulii mensis, tanta procella imbrium exorta est, vt hominum tria millia, & octingentas domos absumpserit. Eadem etiam in Germania non semel contigisse memorantur, nam etiam in Bohemia Albis fluuius nimiis imbribus excrescens, Anno D. 1432. Multas cum plebe villas consumpsit, & iuxta vrbem Hallensem Sulæ muros superauit: atq; in Thu-

Inconstãtiæ indicium vẽtus est.

Tempestates maximæ enumerantur.

Nauclerus gen. 50. Crantzius li. 11. ca. 27.

in Thuringia ſupra quadraginta villæ demerſæ perierunt, plebibus armentiſque abſumptis. Quod ſi tẽpeſtates ingruentes, montes, & villas poſſunt deprimere, multo magis ſemina cuiuſlibet grani valent eradicare. Iob. 37 *Ab interioribus egredietur tempeſtas*, quippe à corde prodeunt turpes cogitationes, quæ ſunt ſicut denſiſſimæ nebulæ ſplendorem rationis obſcurantes. & 36. *Morietur in tempeſtate anima eorum.* Pſal. 68. *Non me demergat tempeſtas aquæ.* Inſuper ſemen ſi in terræ viſceribus ſepultum non fuerit, ſed deſuper iacuerit volucres cœli comedent illud, & nullus ex illo agricolæ promanabit fructus. Multi ſunt qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, ſed quoniam in hoc ipſo ab hominibus videri deſiderant, nullum fructum referunt, quia occulta ſuperbia & inanis gloriæ appetitus, ſeminis diuini vtilitatem tollunt. Rectè S. Baſil: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum blandiſsimam bonorum noſtrorum deprædatricem. &c* S. quoque Gregorius hom. 11. in Euangelia. *Studium cœleſtis deſiderii à malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc & ab humanis laudibuus non abſcondit, &c. Deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.* Sicut enim theſaurus abſconditus tutior eſt, & virgo domi clauſa, facilius caſtitatem ſeruat, quam quæ per vias vagatur, ita virtus occultata à vana gloria, & diaboli laqueis ſecurior eſt. Et ſicut veſtem pretioſam cum in publico ponimus plurimos ad inſidias prouocamus, ſi vero domi recondamus, in tuto cuncta ſeruabimus. Sic ſi opes virtutum palam quaſi venales aſſiduè portemus in mente, inimicum irritamus ad furtum, ſin vero nemo alter id ſciuerit, niſi quem nulla occulta

S. Baſil. in Cōſtitution. Monaſticis.

S. Grego. hõ. 11. in Euangelia.

latent, tutissimo in loco consistent. Sed iam sit laus DEO Trino & vno Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum.

AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica VI. post Epiphaniam.

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit, in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum. Mat. 13.

Summa Concionis.

SIcut modicum fermentum totam massam corrumpit, sic vnum peccatum mortale, omnia bona opera, omnes spirituales diuitias, omnes virtutes, omnia cœlestia bona, destruit & prorsus in nihilum redigit.

MVlti viri doctrinæ excellentia & vitæ sanctimonia præstantissimi, malitiam peccati aliqua ex parte exprimere desiderantes variis rebus illud comparare soliti sunt. Quidam enim peccatum assimilant absinthio, quia absinthium sua amaritudine lædit gustum. Gustus animæ est appetitus spiritualis, qui ita ex peccato inficitur: vt ei dulcia & suauia, scilicet spirituales deliciæ, quæ de se sunt dulcissimæ, amaræ videantur & aspera; sicut gustui carnis absinthii amaritudine infecto, etiam dulcia, amara esse videntur. Isa. 5. *Væ qui dicitis bonum malum ponentes dulce in amarum.* Adhæc absinthium

ſinthium in amaritudinem redigit lac, & vinum, & omne dulce cui fuerit admixtum, vnde apes quæ frequentant abſinthium faciunt mel amarum. Similiter peccatum rem delectabilem cui admiſcetur, vertit tandem in amaritudinem conſcientiæ remordentis, vel pœnæ affligentis, ſicut patet in luxuria, & voluptate carnis: quæ maximè videntur delectabiles. Prouer: 5. *Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouißima autem eius amara, quaſi abſinthium.* Sunt & aliæ per quam plurimæ virorum illuſtrium ſimilitudines, ſed illis omnino ſuperſedendum eſt, ne tædioſè exordii longitudo protrahatur. Hoc vnum noſtra concio tractabit, ſicut fermentum totam maſſam corrumpit, ita peccatum omnes virtutes, omnia bona merita tollit.

AVE MARIA.

SAcrarum literarum monumenta manifeſte clamant, vnicum peccatum mortale omnia bona opera perdere, & in nihilum redigere. Eccl:9. *Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* & Ezech: 18. *Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius quas fecit non recordabuntur.* Prou: 14. *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit peccatum populos.* Placet hoc loco bonorum, quibus peccatum homines priuat mentionem facere. Ac in primis: Exturbat è gratia & amicitia Dei. Pſal: 34. *Vultus Domini ſuper facientes mala.* Sap: 14. *Similiter enim odio ſunt Deo impius & impietas eius.* 2. Exuit paterna prouidentia: Deus enim ſuorum curam agit, malos verò famem vt canes pati permittit. *Veſtri* inquit *capilli capitis omnes numerati ſunt, nolite timere.* Olim filiis Iſraël Exo:16.

 40. annis

40. annis in deserto coturnices, & manna ad man-
Deut: 29. ducandum misit Dens, & aquam de petra abundantem ad bibendum eduxit. Eorundem vestimenta toto illo tempore non sunt attrita, neque cal-
3.Reg: 17. ceamenta vetustate consumpta. Elias in magna fame, cum cœlum ad eius orationem tribus annis & mensibus sic clausum esset, vt ne gutta quidem aquæ decideret, à coruis Dei iussu pastus fuit. Eidem postea Angelus Domini panem & aquam ostendit. Paucis rem absoluo, *oculi Domini super iustos*, aperit manum suam, & implet eos omni benedictione, impiis verò loco benedictionis maledictionem, loco prouidentiæ, negligentiam & seueritatem exhibet. Esa: 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, super quo percutiam vos, &c. Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, regionem vestrã coram vobis alii deuorant.* 3. Exuit participatione meritorum Christi, & mortis eius, nullum peccatoribus emolumentum è morte Christi, nulla vtilitas ex meritis eius, sed potius maior causa damnationis oritur. 4. Exuit donis Spiritus sancti, & virtutibus infusis, succedente enim frigore discedit calor, sic veniente malitia, fugit sanctimonia, non enim in maleuolam animam descendit Spiritus Domini, nec duo sibi inuicem contraria in vno loco simul & semel esse possunt. 5. Exuit pace & serenitate conscientiæ & consolatione sancti Spiritus. Isa: 66. *Vermis eorum non morietur.* Prou: 12. *quasi gladio pungitur conscientia.* 6. Priuat communione bonorum Ecclesiæ: quippe Orationes & sacrificia Ecclesiæ peccatoribus, in peccato sponte permanentibus, nullo adsunt adiumento & auxilio. Multos vt

Ambulans in timore Domini, & cõsolatione Spiritus sancti. Act: 8.

arbitror

arbitror vestrûm. auditores charissimi, contigit nosse hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando reuocare. Non longè à nostris (inquit S. Greg: lib: 4. Dial.) fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus, longo transductus est: cumque diu teneretur in vinculis, cum vxor sua, cum ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerri. Cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ, pro animæ eius absolutione. Non longo post tempore reuersus admirans valde, suæ indicauit vxori, quod diebus certis, hebdomadibus singulis eius vincula soluebantur. Quos videlicet dies eius vxor discutiens, tunc eum recognouit absolutum, cum pro eo sacrificium meminit oblatum, sed profectò facilius est, vt omnes credimus, ad sacrificii diuini vim, vincula decidere corporea, quam hominē peccatorum funibus circumplexum, eorundem sacrificiorum virtute adiuuari. Fructus enim diuinorum sacrificiorum, aliorumque bonorum Ecclesiæ, est gratia Dei, at hæc non datur peccātibus, quippe longè à peccatoribus salus: ergo &c. insuper minimus gratiæ gradus omnia tollit peccata, quo si irradiati essent peccatores, ratione Diuinorum sacrificiorum, quomodo dies noctesque permanerent, in fęcibus nequitiæ & malitiæ? 7. Spoliat hominem merito & fructu, bonorum operum. Loquatur homo linguis hominum & Angelorum: distribuat omnes facultates suas in cibos pauperum: tradat corpus suum ita vt ardeat &c. charitatem autem non habeat nihil illi prodest, teste S. Paulo Apostolo. 8. Vita æterna Sap. 15. *Malorum amatores digni sunt*

Dialog. li. 4. cap. 57.

Vi sacrificii diuini deciduntvincula corporea non autem vincula peccatorum.

gni sunt morte. 9. Custodia Angelorum, sicut enim à cadauere fætido homines auertunt se, ita Angeli à peccatoribus S. Ambro: lib I. Off. cap. 12. *Interroga conscientiam peccatoris nonne grauius omnibus fætet sepulchris?* O vere modicum fermentum totam massam corrumpit vnicum peccatum omnes virtutes, omnia bona, omnia merita tollit. Hinc à quibusdam non abs re hederæ comparatur. Primo ratione frigiditatis: quia hedera cum frigidæ sit naturæ, terram vbi crescit frigidam esse indicat, similiter peccatum frigidæ naturæ est, ita, vt calorem diuini amoris excludat: & vbi peccatum crescit, certissimum indicium est, quod ibi calor diuinæ charitatis non sit, sed quod talis anima sit frigida, & diuino amore penitus destituta. Secundo ratione contrarietatis: quia vmbra eius est noxia, & tamen serpenti est gratissima, sic peccatum quamuis homini sit summè noxium, & damnosum: tamen serpenti infernali id est diabolo est gratissimum, & ideo vbi talis est vmbra peccati, libenter requiescit. Tertio quod nostræ rei maximè conuenit hedera separat vinum ab aqua sicut dicit Plinius. Mira est hederæ natura frigida ad expiandum vina, nam vinum ex vase fluere, & aquam si quæ vino mixta fuerit, remanere certum est. Similiter peccatum trahit de vase cordis vinum diuinæ consolationis promanans ex operibus bonæ actionis, & relinquit ibi aquam tribulationis, & ideo de peccatoribus verè potest dici illud. Ioa. 2. *Vinum non habent.* Præclarè peccatum in sacris literis mors animæ nuncupatur, quia gratia Dei, est in anima quod anima in corpore. Sicut enim corpus per animã viuit, vitam naturalem, sic anima per gratiam Deĩ vitam

Peccatum cuidam herbæ quæ hedera dicitur cõparatur.

Vinum ab aqua separatur.

vitam

vitam viuit ſupernaturalem. Olim B. Zuſanna cum à Iudicibus ſollicitaretur Dan. 13. ſic reſpondit. Si hoc egero mors mihi eſt, ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. quid ais? imo ſi adulterium non commiſeris effugies mortem. Nouerat illa aliam mortem ſuperiorem, in cuius comparatione non merebatur nomen mortis occiſio corporalis, ſed tantum non effugere manus hominum, mortem autem plenis buccis peccatum appellat. Hoc nomine illud etiam nuncupandum Propheta Domini Ezech. cenſet 18. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* & 33. *Impius in iniquitate ſua moritur.* & Apoſtolus Rom: 8. *Stipendia peccati mors.* Sicut igitur mors corporis, omnia bona temporalia, omnes diuitias, omnem ſupellectilem ab homine aufert, & nudum ſicut natus eſt à vermibus corrodendum terræ mandat, iuxta verba ſacræ ſcripturæ. 10. Eccl. *Cùm mortuus fuerit homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Iob 21. *Simul in puluere dormient, & vermes operient eos*, ita & mors animæ omnia dona S. Spiritus, omnes diuinarum conſolationum facultates, omnes cœleſtes diuitias ab anima eripit, & nudam, carentemque veſte nuptiali, ligatis manibus & pedibus, proiicit in tenebras exteriores: vbi fletus & ſtridor dentium, detrudit inquam animã in barhatrum inferni à vermibus excruciandã, & dilaniendã. Mar:9. *Bonum eſt tibi claudũ introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Iſa: 14. *Operimentum tuum erunt vermes, &c. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, ſubter te ſternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Mors corporis eripit Regibus regna, Cæſaribus imperia, diuitibus opulenta prædia, &c. Idem efficit & mors animæ, eripit animabus regnum cœlorum re-

Peccatum animæ mortem infert.

Cum interit diues, non ſumet ſecum omnia, neque deſcendet cũ eo gloria eius.

Eccl. 10.
Iob 21.

Mar: 9.

Iſa: 14.

rum, regionem omnium ditiſſimam, & opulentiſſimam, omni bonorum copia abundantiſſimã. Apo.22.

Apo: 22. *Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, per portas intrent in ciuitatem. Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Mors corporis cum dolore maximo & ingenti triſtitia, ſeparat homines ab amicis, propinquis, familiaribus, aliiſque cognatis, vt quondam dixit Rex Agag: *Siccine ſeparat amara mors?* Amara eſt mortis memoria (quid eius aduentus) homini bene habenti in ſubſtantia ſua. Sic & mors animæ, multos homines, à conſpectu Dei altiſſimi, à Societate Angelorum, à cætu Sanctorum, cum maximo eiulatu, fletu, & lamentationibus, in æternum ſegregabit, & in ſiniſtra omnis maledictionis & aduerſitatis collocabit.

Tob: 10. *Flebat* olim mater Tobiæ *irremediabilibus lacrymis atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ.* Flebunt & animæ maledictæ & dicent, eheu nobis, quia amiſimus Dominum IESVM lumen oculorum noſtrorum, ſolatium & gaudium noſtrum, &c. Per peccatum admittitur in animam humanam hoſtis capitalis eius, draco inquam infernalis, nam à quo quis ſuperatus eſt eius & ſeruus eſt, & trahitur ab hoſte victore in ſeruitutem, Hoſtis verò cum vi irruit in ciuitatem, omnia rapit, domos inuadit, occurſantes trucidat, fiunt præda omnia, violantur virgines, captiuantur matronæ, & in conſpectu earum, mariti earum trucidantur, oritur ingens clamor, omnia loca cæde, ruina, rapina implentur, &c. 1. Reg. 30. *Amalecitæ impetum fecerant ex parte auſtrali, & percuſſerant Siceleg, & ſuccenderant eam igni. Et captiuas duxerunt mulieres, ex ea à minimo vſque*

Hoſtis irruens in vrbem nemini parcit.

1. Reg: 30.

vsque ad magnum. Sic & teterrimus dæmon postquam peccatorum vi, introductus in animam irruerit, eam crudelem in modum dilaniat, omnia bona, omnes virtutes surripit, omniaque donorum cœlestium monilia aufert, eam ipsam deturpat, vestimentis denudat, turpium cogitationum sordibus maculat, luxuria violat, peste superbiæ inficit, igne fornicationis succendit, & sic igne concepto omnia bona pereunt. Isa: 42. *Quis dedit in direptionem Iacob & Israël vastantibus? Nonne Dominus ipse est cui peccauimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, & effudit super eum furorem indignationis suæ, & forte bellum.* Qui incidit in latrones, nonne ab illis spoliatur? nonne omnia bona sibi per illos eripiuntur? nonne multis vulneribus saucius relinquitur? Qui peccatum mortale committit, incidit in latrones, quod patet ex hac historia quam Dominus IESVS, Luc: 10. protulit. *Homo quidam descendebat à Ierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Quem alium homo ille nisi peccatorem denotat? qui a cœlesti Hierusalem per peccatum elongatus, incidit in dæmones, à quibus multis plagis, & vulneribus affectus interficitur. Omnia igitur bona animæ vnicum mortale peccatum tollit. Notum est de serpente, tali esse præditum prudentia, vt corpus ictibus exponat, quo caput melius seruet. Minare ense aut baculo colubrum, in orbem se ille circumuoluet, vt inter sinus corporis sui caput abscondat & seruet, & ratio est, quia ex capitis incolumitate vita eius pendet. Vos Christiani serpentis hanc prudentiam conuenit imitari, si enim serpens hic contemptibilis, cuius vitam omnes adimere curamus, tantam in seruanda vita prudentiam adhibet, quid nos facere oportebit, vt

Serpentis mira prudẽtia.

Estote prudentes sicut serpentes.

vitam animæ nostræ, quæ est gratia Dei, seruemus, quæ nos capaces vitæ æternæ, & diuinæ consortes facit esse naturæ? quod nobis donet Dominus IESVS. AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Simile est regnum cœlorum fermento. Matt: 13.

Summa Concionis. VNicum peccatum totam vitiare legem pulchre docetur.

NON abs ré peccatum assimilatur rhanno, quæ est herba à principio mollis: sed quantò plus crescit, tantò durior fit, & in acutiorem aculeum indurescit. Sic peccatum à principio videtur suaue, sed postea quantò plus crescit, plus in eo induratur, & in fine per illud aculeus æternæ punctionis inducitur. Item rhannus proprium habet ignem ex se proferre, nam eius folia postquam cadunt & desiccantur, multæ siccitatis, & cuiusdam vnctuositatis esse dicuntur. Ideo quando adest fortis impressio caloris solaris, rhannus facile inflammatur, cuius occasione vicina sæpe nemora incenduntur. Similiter peccatum profert ex se ignem, id est, inordinatum ardorem: ita vt folia eius, intellige cogitationes vel delectationes peccati, postquam ceciderunt in consensum operis, tunc desiccantur

cantur ab humore gratiæ: & efficiuntur vnctuosæ, id est, lubricæ, quia vnctuosa sunt lubrica, ita vt ad fortem impressionem siue feruorem tentationis facile appetitus hominis inflammetur, & omnes animæ vires incendantur, omnes virtutes flammis carnalitatis absumantur, omnia bona & dona cœlestia corrumpantur, vt in concione præmissa satis luculente ostensum est. In hac vero demonstrare placet, vnicum peccatum vitiare totam legem Dei.

AVE MARIA.

IAC. 2. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Inquit S. Thomas Doctor Angelicus. Factus est omnium reus, quia pro vno ac si pro omnibus peribit. Ita ille. Licet enim maiores pœnas subeat ille, qui plura cõmiserit peccata, hoc tamẽ quod est cœlo priuari, & damnari in æternum, ita dãnabitur in æternum, & Dei visione carebit, qui vnum, sicut qui multa peccata cõmisit, licet cruciat⁹ inferni sint inæquales pro mẽsura delictorum. Vnde. Eccl: 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdit.* Nec hoc mirandum esse animaduerto, dicit enim Apostol⁹. *Qui diligit proximũ legem impleuit*, quemadmodum igitur, qui hoc vnum præceptum implet, omnia impleuisse dicitur, ita qui vnum mandatum Dei violat, omnia violasse conuincitur. Adhæc, qui vnicum peccatum mortale admisit, tot bona perdidit, quot & ille, qui multorum scelerum pondus sustinet, quia sic amitit charitatem omnino & gratiam, sicut qui in multis offendit. Præterea qui vnum peccatum mortale fecit, ita factus est mancipium diaboli & seruus peccati, sicut & ille qui multa. Tertul. de fug: pecc. *Peccator traditur diabolo quasi carnifici in pœnam, vt Saul* & S. August, *Vnusquisq; peccando*

Iacob. 2.
Eccl. 9.
Tertul. de fuga peccati.

peccando animam suam Diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine corporalis voluptatis. Ioa. 8. *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Insuper sicut seruus infidelis dicitur, qui vnam arcem Domini sui per scelus prodidit hostibus, quam qui multas, vterque vno infidelitatis nomine appellantur, etsi capiuntur, vno mortis genere mulctantur: sic qui vnum Dei præceptum contumaci transgressione violauit, infidelitatis notam subiit, nam in baptismate promiserat se à Diuinis præceptis ne transuersum vnguem discessurum. idem de illo qui contra omnia peccare non erubuit iudicium esto, vterque enim datam fidem violauit. Deu. 32. *Generatio enim peruersa est, & infideles filii immolauerunt dæmoniis & non Deo.* Eccl. 5. *Si quid vouisti Deo ne moreris reddere, displicet enim illi stulta & infidelis promissio.* Vbi infideles nuncupātur, qui Deo per vota obligati ad seruiendum, retro respiciunt, quales sunt omnes peccatores siue vno siue multis sceleribus Deum offendentes. sunt enim omnes infideles filii, non adimplentes ea quæ Deo promiserunt. S. Bas. hom. in 40. Marty. *Vnum erat omnium votum. Quadraginta in stadium intrauimus, totidem Domine coronas tribue, non desit numero ne vnus quidem. verum vnus repertus est, ea animi mollicie atque inconstantia, vt statim frigoris tolerantiam desperans, ad hostes transfugerit, miserabile prorsus spectaculum, miles transfuga, vir fortissimus captus, Christi ouis à lupo direpta. &c.* Hic miles Christum confessus fuit, tormenta subiit, & magna ex parte perpessus est, tandem victus cessit hosti, dedit locum diabolo, vnum commisit scelus, factus est omnium reus, & ex fideli milite, infidelis proditor mutatus. Notandum. Occisor dicitur sororis suæ qui eam vno vulnere interfecit, sicut & ille, qui multis vulneribus affectam trucidauit, vterque enim sorori necem intulit, & vterque

[Margin notes: Ioa. 8. — *Basil. homil. in 40. Mar.* — *Peccatum animam occidit.*]

terque eodem mortis genere de medio tolluntur. At qui vnius peccati mortalis labe pollutus est, animam ita interficit, sicut & ille qui multorum scelerum sordibus maculatus fætet. ergo &c. Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Baſ. hom. 5. *Peccatum est mors animæ alioqui immortalis.* Ezech. 33. *Etiamsi dixero iusto quod vita viuat & confisus in sua iustitia fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est in ipsa morietur.* Exemplis res illustretur. 1. Reg: 15. Sauli reseruanti aliquam partem bonorum. Amalec abiectus à Domino fuit, præceperat enim illi, vt nihil prorsus ex bonis Amalec reseruaret, sed omnia prorsus perderet, ille aliqua reseruauit, accessit igitur, ad illum Samuel in nomine Domini & ait; Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex. Sic à Regno cœlesti ne ibi regnet, abiicit Dominus quemlibet peccatorem, quamuis in vno tantum fuerit peccato comprehensus. Iudæorum egressa ex Ægypto 20000 millia, & tantum duo venere in terram promissionis, quia multis peccatis Dei irã in se prouocauerant, &c. non est ingressus & Moyses fines terræ promissæ, propter vnicum incredulitatis, ad aquas contradictionis, peccatum. Multi de Christianorum numero cœlestis gloriæ beatitudinem suorum scelerum ergo non gustabunt, ex quibus plurimos videre licebit: propter vnicum mortale peccatum eandem sustinentes pœnam. Hinc Leu. 13. Absolutè leprosus & ab hominibus separatus iudicatur ille, qui quamuis partes corporis plures sanas haberet, aliquam tamen partem lepræ macula habuerit infectam: leprosus autem peccatorum figuram gerit. sicut ergo propter illam solummodo maculam lepræ ab hominum Ecclesia leprosus eiici-

Rom. 6.
Ezec. 33.
Num. 10.
Leu. 13.

sus eiici-

ſus eiicitur ſic peccator, propter vnius tantummodo peccati labem à conſortio Sanctorum eiicietur. Placet in medium ad illuſtrandam rem noſtram aliquas afferre ſimilitudines. Conſuetudinem hanc pro ſacroſancta lege receptam & ſeruatam, quotidianis experimentis cognoſcimus, vt apud quem vna res per furtum ſublata reperiatur, author reliquarum perditarum habeatur. hinc talis capitur, carceri mandatur, quæſtionibus exagitatur, vt reliqua bona per ſe ſublata quonam locorum ſint confiteatur. dicitur enim illi. Auſus es vnam rem alienam accipere, accepiſti & alteram. Hoc modo iniquo peccatori obiicitur. Auſus es vnum præceptum Dei transgredi omnia eadem audacia ductus tranſgredi paratus es &c. Sicut enim non ſufficit nouem latrones è domo eiicere, ſi decimus remanet domi abſconditus, ille quippe dominum domus occidet, & bona eius diripiet: ſic non ſatis eſt nouē peccata, quæ contra nouē præcepta ſunt reiicere, ſi vel vnicum contra decimum præceptum in anima fuerit relictum, id enim & animam occidet, & omnium bonorum operum merita diripiet. Sicut ſtulte faceret qui in nouem cubiculis ignē extingueret, & in decimo ardentē flāmam relinqueret, illa enim ſufficiens eſt totam domum ſolo æquare. Cauete ergo vobis ô Chriſtiani à peccato mortali, etiā vnico, quod ſua vi omnia bona tollit, merita deſtruit, & vos omnium diuinorum mandatorum præuaricatores conſtituit; ſed potius diligite eum, qui omni dilectione dignus eſt IESVS Chriſtus Dominus noſter, regnans cum Deo Patre & Sancto Spiritu, ſine fine. AMEN.